QUAESTIONES HORATIANAE GRAMMATICAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE IX. MENSIS IULII A. MDCCCLXX.

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

IOSEPHUS NEUSS
RHENANUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXX.

V. D.

CHRISTOPHORO SCHLUETER,

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET PROFESSORI IN ALMA LITTERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

Quaestiones Horatianae grammaticae.

De Horatio eiusque scriptis tam multa eaque praeclara a doctissimis viris prolata sunt, ut omnino nihil novi de illustrissimo illo Romanorum poëta proferri posse videatur. Atque concedendum est plurima eorum, quae in scriptis eius reperiuntur difficilia, satis esse explicata illustrataque. Attamen permulta restant, quae adhuc luce sua carent. Ac primum quidem verborum miscendi, differendi, aliorum variae constructiones adhuc plane fere in incerto relictae sunt. Tum accusativus Graecus, quid sibi velit, quibusque locis sit statuendus, homines docti diu multumque certaverunt atque adhuc sub iud ce lis est. Deinde interpretum alii alio modo indagare atque demonstrare studuerunt, quid esset causae, cur enuntiata: „sunt qui, est qui", similia in Horatii scriptis aliis locis cum indicativo aliis cum coniunctivo connexa reperirentur. Denique, ne multus sim, huc referenda sunt fere omnia illa, quae Horatio in verborum generibus, modis, temporibus adhibendis, in substantivorum, adiectivorum, praepositionum, coniunctionum usu, aliis rebus, quae ad artem grammaticam spectant, propria fuerunt. Quibus rebus constitutis, quantum proficiatur quum ad Horatii scriptorum interpretationem muniendam, tum ad universae linguae Latinae non solum naturam atque indolem, verum etiam ad historiam perscrutandam, demonstrare supersedeo. Quam ob causam res illae certe dignae sunt, quibus a viris doctis magis, quam adhuc factum est, opera atque studium naventur. Nam quamquam nostra memoria in nonnullis huius-

1

modi rebus, veluti in infinitivi [1]), casuum [2]), adiectivorum [3]) usu Horatiano, explorandis egregia diligentia consumpta est, tamen permultae tractationem explicationemque desiderant. Quas omnes accurate pertractare et ambitus huius opusculi me prohibet, et vires ad eas adumbrandas me deficere ingenue fateor. Quare tria potissimum disserenda suscipiam, et enuntiata „sunt qui, est qui“, similia cur modo cum indicativo, modo cum coniunctivo coniunxerit, et verborum miscendi quam constructionem esse voluerit, et participiis quomodo usus sit Horatius. Ad quas quaestiones quum aggrediar, oro, ut indulgenter iudicetur opusculum meum, praesertim quum a tirone sit compositum.

[1]) Dahleke.: de usu infinitivi Horatiano. Breslau 1854. — Hester.: de infinitivi natura et apud Horatium usu. (Diss. phil.) Monast. 1858.

[2]) Gust. Ebeling.: de casuum usu Horatiano. (Progr. Wernigerode 1865—66.)

[3]) J. A. Voigt.: nugarum grammaticarum particula prima. Halae 1844.

QUAESTIO I.

Quaeritur, quanam ratione ductus Horatius enuntiata „sunt qui, est qui, reperiuntur qui“, similia modo cum indicativo modo cum coniunctivo coniunxerit.

Priusquam meam ipsius sententiam proferam, breviter attingendum esse puto, quid recentiores grammatici Horatiique interpretes de hac re iudicaverint. Clare ac perspicue de ea egit Schultzius in grammatica sua Latina. (v. §. 375. n. 1.) Minus mihi probatur Zumptii sententia, qui in grammatica sua (§. 563) ita de hac re iudicat: „Bei est qui und sunt qui mit verschwiegenem Subjecte ist der Conjunctiv bei weitem häufiger und der Indicativ wird mit Recht für einen Gräcismus gehalten, der bei den Dichtern sehr häufig ist, z. B. fast beständig bei Horaz.“ Cui quidem concedo, Horatium enuntiatis „sunt qui, est qui,“ similibus Graecorum poëtarum imitatione commotum indicativum addidisse, sed in eo erravit, quod dixit, enuntiata illa in Horatii scriptis semper fere cum indicativo coniuncta legi. Immo ab illo multo saepius coniunctivum his enuntiatis subiectum esse iis, quae sequuntur, demonstrare mihi in animo est. Krügerus denique, ut alios omittam, in magna sua grammatica Latina (§. 615), postquam, quomodo apud solutae orationis scriptores haec enuntiata constructa reperirentur, fusius quam clarius exposuit, ad usum Horatianum explicandum haec addidit [1]): „Bei Horaz ist übrigens der Indicativ in

[1]) cf. Krüg. l. c. p. 836 adn. 2.

dieser Construction bei weitem vorherrschend und häufig findet er sich auch bei andern Dichtern. Man erklärt denselben gewöhnlich für einen Gräcismus. Das Wesentliche bei dem Gebrauche dieses Modus in dieser Construction besteht aber darin, dass alsdann das Ausgesagte nicht als Etwas aus der Eigenthümlichkeit der bezeichneten Person oder Sache herzuleitendes aufgefasst ist. Der gewöhnliche Sprachgebrauch ist für diese Auffassung, die Dichter aber entfernen sich, wie in andern Fällen, so auch hier häufig von demselben.“ Quod aliquatenus de carminibus, non de satiris epistolisque dicendum esse postea apparebit. Quid vero clarissimi Horatii interpretes hac de re iudicaverint, singulis locis afferam. Qui maxime in eo errasse mihi videntur, quod omnes Horatii operum locos huc pertinentes, et qui in carminibus et qui in sermonibus[1]) leguntur, una eademque ratione explicare studuerunt neque viderunt, plurimum interesse inter carmina et satiras epistolasque. Quam ob rem haud difficile est intellectu, quomodo factum sit, ut in aliis locis quamvis veris offenderent interpretes, alios aperte falsos ad unum omnes veros iudicarent atque nonnumquam, cum sententias a se propositas confirmare non possent, ad libertates Horatio poëtae concessas et varia artificia confugerent, quibus omnia explicari quidem, demonstrari autem minime possunt. Itaque in hac, quae proposita est, similibusque quaestionibus praecipue id urgendum esse puto, Horatii carmina et satiras epistolasque non solum rebus ipsis, quod quidem nemo est, qui dubitet, sed etiam ratione dicendi valde inter se differre.[2]) Quam ob causam dubiae res, quae in satiris vel epistolis insunt, quantum quidem fieri potest, exemplis ex ipsis satiris vel epistolis petitis demonstrandae sunt ac confirmandae. Nec minus idem

---

[1]) Sermones Horatio auctore (sat. I, 4, 42 et ep. II, 1, 250) et satiras et epistolas intelligo.

[2]) G. T. A. Krüg. ed. sat. et epist. (ed. V. Lipsiae 1866) p. 5.

valet in carminibus. Certe autem hac in re maior cura atque diligentia interpretibus adhibenda erat. Quod ne cui mire dictum videatur, conferantur, quae Bentleius ad epod. 17, 17: „volente Circa membra . . . .“ adnotavit: „Et sane observavi in Jambis, Sermonibus et Epistolis Latinas declinationes libentius adhibere nostrum, in Carminibus Graecas. In illis Cretam, Helena, Penelopam habes, in his Creten, Helene, Penelopen. Quippe in illis puram et nativam orationem sectatus est; in his plus exotici nitoris et transmarinae elegantiae affectavit. Circa itaque Latine nunc extulit.“

Deinde verbum „abstinere“ ad exemplum Graecorum cum genitivo coniunxit carm. III, 27, 69 sq.: „mox ubi lusit satis: ‚abstineto‘ dixit irarum calidaeque rixae . . .“ [1]) et carm. IV, 9, 37 sq.: „vindex avarae fraudis et abstinens ducentis ad se cunctae pecuniae.“ In satiris autem epistolisque ab usitato sermonis usu non discessit. cf. sat. II, 3, 202 sq. „. . . abstinuit vim uxore et gnato . . . .“; epist. II, 3, 170: „quaerit et inventis miser abstinet . . . .“; ibid. 379: „ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.“ Alia huius audacis Graecorum imitationis exempla, quae non leguntur nisi in carminibus, haec sunt: carm. II, 13, 38: „dulci laborum decipitur sono“; [2]) carm. II, 9, 17 sq. „. . . . desine mollium tandem querelarum . . . .“; carm. III, 30, 11 sq.: „et qua pauper aquae Daunus agrestium regnavit populorum . . . .“; [3]) carm. I, 26, 1 sqq. „Musis amicus tristitiam et metus tradam protervis in mare Creticum portare ventis . . . .“ [4]) Denique multum interesse inter carmina et ser-

---

[1]) De Graeco verbo „ἀπέχεσθαι“ cf. Krüg. Griech. Gramm. §. 47, 13 et ibid. adn. I.

[2]) Bene Orellius confert Graecum „κλέπτεσθαι τῶν πόνων.“

[3]) Insolentia huius dicendi generis haud dubie peperit alteram lectionem „regnator populorum.“ Sed nihil mutandum est. Imitatus est enim Horatius Graecorum illud: „ἦρξε λαῶν.“ cf. Orell

[4]) In sat. II, 5, 51 ex usitato solutae orationis usu dixit: „qui testamentum tradet tibi cumque legendum.“

mones luculentissime apparet ex ipsius Horatii verbis. Haec enim de satiris suis fatetur in sat. I, 4, 49 sqq.: „primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas, excerpam numero: neque enim concludere versum diceris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos, sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.“ Multo clarius idem elucet ex v. 56 sqq.: „. . . . his ego quae nunc, olim quae scripsit Lucilius, eripias si tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est posterius facias, praeponens ultima primis: non ut si solvas „postquam Discordia taetra belli ferratos postes portasque refregit“ invenias etiam disiecti membra poëtae“.[1]) Quae verba Orellius bene sic explicat: „Non in meis versibus solutis invenies membra poëtae quamvis disiecti, ut invenies in versibus his Ennianis verba et imagines poëticas licet sic transponas: Postquam discordia tetra refregit ferratos postes portasque belli.“ Hoc igitur poëta significat, „versus mei soluti quotidiani fere sermonis sive vulgaris solutae orationis speciem prae se ferent“.[2])

Quae cum ita sint, non dubito contendere Horatium in sermonibus quidem non, ut poëtam, propria quadam ratione ductum enuntiata „sunt qui, est qui,“ similia modo cum indicativo modo cum coniunctivo coniunxisse, sed hac in re ubique solemnem atque tritum solutae orationis usum amplexum esse. Sed de hoc ipso diu multumque certaverunt grammatici, quorum nemo est, ad cuius sententiam prorsus accedendum esse putem. Illis enim maximae rei illius explicandae difficultates ex mira, quae saepissime reperitur, lectionum varietate videntur exstitisse. Unde factum est, ut multis scriptorum locis, quibus a recentissimis editoribus ex codicum auctoritate restitutus est coniunctivus, indicativum illi enixe tueri atque defendere

---

[1]) Idem dicendum esse de epistolis elucet ex epist. II, 1, 250 sq. „. . . . nec sermones ego mallem repentes per humum quam res componere gestas.“

[2]) Quod quantumque discrimen sit faciendum, exponere atque illustrare a proposito meo abhorret. Sufficiet mihi demonstrasse re vera interesse inter carmina et satiras epistolasqne.

studuerint. Neque tamen novam de hac re difficillima sententiam in medium proferre animum induxissem, nisi mihi visum esset fore, ut sententia mea accepta plurimis locis res illa facilius diiudicari posset. Constat enim a scriptoribus Latinis in omnibus enuntiatis relativis, in quibus inesset notio quaedam qualitatis, ut pronomen relativum idem valeret ac si diceres: „talis qui, eiusmodi ut“, simile quid, coniunctivo proprium locum concessum esse. Atque ad hanc legem simplicem et suapte natura linguae impositam, omnes fere loci illi, ubi enuntiata „sunt qui, est qui,“ similia cum coniunctivo coniuncta reperiuntur, revocandi sunt. Enuntiato enim relativo ad subiectum verbis illis aut additum aut cogitatione addendum, attributum vel praedicatum quoddam adiungitur. Hoc autem scriptorum Latinorum more saepe vel ad hominum ingenium atque indolem vel ad rerum naturam referebatur et quidem multo saepius, quam adhuc a viris doctis statutum est. Quod ubi fit, qualitatis notionem quandam verbis contineri eamque ob causam coniunctivum ponendum esse, quis est, qui neget? Exemplis nonnullis ea, quae dixi, planissime comprobari arbitror.

cf. Plaut. capt. II, 2, 77: „est etiam, ubi profecto damnum praestet facerequam lucrum,“ id est: est etiam rerum conditio talis, ut in ea praestet . . . lucrum. Cic. de fin. bon. et mal. I, 20, 70: „sunt autem (sc. Epicurei quidam), qui dicant, foedus esse quoddam sapientium . . .“ i. e.: sunt autem (sc. Epicurei quidam), qui ita sentiunt, ut dicant . . . id. pro Balbo 3, 8: „est enim aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet“, i. e.: est aliquid eiusmodi, ut non — licet. Idem cadit in: de off. I, 20, 69; Tusc. disp. I, 9, 18; 35, 85; III, 31, 76; de fin. bon. et mal. I, 9, 31; alios locos. Sall. Cat. 19, 4: „sunt qui ita dicant, imperia eius iniusta, superba, crudelia, barbaros nequivisse pati . . .“, [1]) i. e. sunt (sc. non-

[1]) Hoc loco plurimi editores indicativum comprobaverunt. Sed Rudolph. Dietsch. (ed. III. Lipsiae 1860) recte codicum auctoritate nisus coniunctivum restituit.

nulli) qui eam habent sententiam, ut dicant . . . pati. ib. 22, 1.: „fuere ea tempestate, qui dicerent Catilinam oratione habita . . . humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse . . .“ Liv. XXXVII, 58: „erant qui fama id maius bellum, quam difficultate rei, fuisse interpretarentur“ i. e. erant qui ita putabant, ut . . . interpretarentur.[1]) Sen. benef. III, 12: „est qui plus ei debere se iudicet, per quem tutior est, quam ei, per quem honestior.“ i. e. est qui ita sentit, ut . . iudicet . . . honestior.

Huc etiam pertinent omnes fere loci, quibus tale nomen praecessit, in quo negandi vis quaedam sita est, velut „nemo est qui, non est quod, quis est qui? est ubi?“ similia. cf. Cic. Acad. II, 7, 22: „quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit?“ i. e. quid enim est eiusmodi, ut arte effici possit . . perceperit. id. pro Rosc. Amer. 19, 55: „nemo nostrum est, Eruci, quin sciat . . .“ i. e. nemo nostrum tam rerum ignarus, quin sciat (i. e. qui non sciat.) . . . id. de off. I, 2, 5: „quis est enim qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere?“ i. e. quis est enim tanta audacia sive tam perverso animo, ut . . . audeat dicere. id de leg. I, 8, 24: „. . nullum est animal praeter hominem, quod habeat notionem aliquam dei“ i. e: nullum animal . . . ea est natura, ut . . . habeat . . . dei. id. de opt. gen. or. 2, 6. Sententiam, quam protuli, mire adiuvat, quod ipse Cicero, addita ea ingenii qualitate, ex qua attributum vel praedicatum aptum est, enuntiatis illis subiecit indicativum. cf. de off. I, 14, 43: „sunt autem multi et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur, iique arbitrantur . . .“ i. e. sunt autem multi, qui splendoris et gloriae cupiditate commoti . . sive: multi autem

[1]) Recte haec verba sic explicari elucet ex iis, quae sequuntur. Livius enim, ut falsam illorum hominum sententiam corrigeret, statim addit: „ceterum vere aestimantibus . . .“

splendoris et gloriae cupiditate commoti eripiunt . . . . ib. 24, 84: „sunt enim qui, quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.“ [1])

Immo ubi enuntiato relativo attributum quoddam, ut ita dicam, fortuitum cum subiecto coniungitur, quod aut ad hominum indolem atque ingenium aut ad rerum naturam a scriptore non refertur, i. e. ubi nihil enarratur, nisi id, quod factum est, ita ut desit ratio illa, qua attributum ex subiecto sive subiecti natura atque indole aptum est, indicativus suo loco est. cf. Cic. de fin. V, 14, 38: „sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus . . . .“

Tac. Agric. 28: „ac fuere quos per commercia venundatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.“

Attamen frequenti coniunctivi usu, nam usus est tyrannus, ut aiunt, factum est, ut enuntiata illa, ubi certum subiectum desideraretur, vel remota omni qualitatis notione, a bonis quidem scriptoribus, Cicerone, Caesare, aliis fere cum coniunctivo coniungerentur. cf. Cic. de off. I, 28, 99: „est autem quod differat in hominum ratione habenda inter iustitiam et verecundiam,“ ubi dici non potest: est autem aliquid eiusmodi ut differat . . . . Sed verba „est quod differat“ nihil significant nisi: est discrimen.

Item Tac. hist. V, 2: „sunt qui tradant, Assyrios convenas . . . . coluisse.“

Denique, ne longus sim, hoc quidem mihi persuasum est, omnibus locis, quibus pronomen relativum qualitatis notionem quandam comprehendit, bonos scriptores Latinos, ut satisfacerent consuetudini dicendi, facere non potuisse, quin coniunctivum usurparent.

---

[1]) Aliam de his locis sententiam protulit Otto Heine: „non audent: Cic. scheint an bestimmte Personen gedacht zu haben, daher der Indicativ; zu 14. 13.“

Has igitur leges Horatium in sermonibus quidem semper diligenter observasse contendo. Quod ut intelligatur, iam ad singulos locos transeamus et primum quidem ad sat. I, 2, 28 sqq. „. . . . . sunt qui nolint tetigisse nisi illas, quarum subsuta talos tegat instita veste, contra alius nullam nisi olente in fornice stantem.“ Quo loco omnes fere codices coniunctivum praebent, quem ad unum omnes editores in textum optimo iure recepisse equidem puto. Sed tamen mirum est, neminem adhuc interpretum in hoc loco offendisse, quippe qui aliis locis fere semper indicativum praeferant, velut Orellius, qui ad sat. II, 1, 1, indicativum cum enuntiatis illis coniunctum constructionem Horatio solitam appellat. Nam hoc loco profecto omnia conveniunt, quae omnino ab interpretibus pro indicativo allata sunt. Quid, pro certo nonne confirmari potest, Horatium hoc loco certos quosdam homines significasse sive cogitasse, praesertim quum paulo antea quoque certos homines, Rufillum et Gorgonium proponat? Quam causam afferentes Schmidius ad epist. II, 2, 182, alii indicativum defendere student. Deinde Horatius hoc loco rem certam ac prope quotidie in oculos incurrentem significat, quod indicativo tantum fieri quum Dillenb. tum Orellius ad carm. I, 1, 3, affirmavit his verbis: „Hanc constructionem Horatius atque omnino scriptores accuratiores praeferunt, ubi ut mox v. 19 et sat. I, 4, 24, rem certam ac prope quotidie in oculos incurrere solitam significant. Alibi (epist. I, 1, 77; II, 2, 182), ubi ὑποθετικῶς loquitur, Horatius quoque utitur coniunctivo.“ Sed omnino rationem, qua ductus Horatius cum enuntiatis illis modo indicativum modo coniunctivum coniunxit, minus percepisse videtur, quum ita pergat in adnotatione laudata: „Rarius autem haec constructio (sc. cum coniunctivo) apud poëtas optimos quosque ideo reperitur, quod, ut par est, res certas atque evidentes proponere malunt, quam dubias et obscuras“, quasi hoc: „sunt qui nolint tetigisse“ Horatio minus certum atque evidens fuerit quam illud: „sunt

quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat . . . ." Immo vero haud dubie Romani multo saepius poterant videre hos, qui nollent tetigisse, quam illos, quos pulverem . . . . iuvaret. Porro hoc quoque loco simili modo atque in carm. I, 1, 3: „sunt qui" bene mutari possit cum: nonnulli volunt, sive, quum his verbis respondeat vox „alius" cum: alius vult,[1]) quod cum indicativo facere Nauck. adnotat ad carm l. c. Ac ne plura consecter, sic existimo: inter illud „sunt quos . . . . iuvat" et hoc „sunt qui nolint", quod quidem ad dicendi rationem spectat, nihil interesse. Et tamen illo loco omnes recentiores interpretes quovis modo indicativum defendere student, hoc autem loco, quamquam, ut nunc quidem Horatii carmina sunt disposita, coniunctivus primum hoc modo adhibitus est, nihil de eo dicendum esse putant. Sed coniunctivum hoc loco recte se habere facile intelligitur. Describit enim Horatius hoc loco hominum, qui tunc Romae erant, vitia, quae ex eorum moribus ingeniisque ducerentur necesse erat, ita ut aperta quaedam qualitatis notio in verbis illis insit. Bene igitur hoc loco coniunctivus convenit cum legibus supra constitutis. Eadem fere, quae de hoc loco dicta sunt, cadunt in

sat. I, 1, 117 sqq.: „inde fit ut raro, qui se vixisse beatum, dicat . . . . reperire queamus."

I, 4, 74 sq.: „. . . . in medio qui scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes."

epist. I, 1, 34 sq.: „sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem possis et magnam morbi deponere partem."

ib. 77 sqq.: „pars hominum gestit conducere publica, sunt qui crustis et pomis viduas venentur avaras excipiantque senes, quos in vivaria mittant."

---

[1]) Kirchner. bene verba: „sunt qui nolint" et „contra alius . . ." sic in nostram linguam vertit: „Der Eine begehrt nur, ... der Andere dagegen."

I, 6, 3 sqq.: „hunc solem et stellas et decedentia certis tempora momentis sunt qui formidine nulla imbuti spectent . . . .“

I, 10, 15 sqq.: „est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura leniat et rabiem canis . . . . . acutum? est ubi divellat somnos minus invida cura?“ [1])

I, 18, 52 sq.: „. . . . adde virilia quod speciosius arma non est qui tractet . . . .“

II, 2, 128 sqq.: „fuit haud ignobilis Argis . . . . cetera qui vitae servaret munia recto more, bonus sane vicinus, amabilis hopes, comis in uxorem, posset qui ignoscere servis . . . . posset qui rupem et puteum vitare patentem.“

II, 3, 361 sq.: „ut pictura, poësis: erit quae, si propius stes, te capiat magis, et quaedam, si longius abstes.“

Quibus locis iure omnes recentiores editores, nisi plurimorum optimorumque codicum auctoritate, coniunctivum in textum receperunt, quum ubique qualitatis quaedam notio plus minusve aperta in enuntiatis, de quibus agitur, insit.

Sed haec hactenus. Nunc venio ad nonnullos locos, quibus haud suo iure omnes recentiores editores indicativum videntur probasse. In sat. enim II, 1, 1: „Sunt quibus in satira videar nimis acer . . .“ uno excepto omnes, nisi fallor, recentiores editores ex Bernensis, nonnullorumque aliorum codicum auctoritate „videor“ lectionem probaverunt atque vario modo defendere studuerunt. Orellius quidem, ut hunc unum afferam, haec adnotavit: „haec constructio Horatio solita hoc loco satis etiam a codicibus firmatur.“ Sed codicum auctoritas haud dubie facit cum altera lectione „videar“. Quod vero Orellius hanc constructionem (cum indicativo) solitam esse Horatio statuit, eum erravisse arbi-

---

[1]) Hanc fere sententiam verba efficere mihi videntur: Nulla est urbs eiusmodi, ut ibi . . tepeant . . divellat. Nam sine dubio Horatio, q um haec scriberet, praeter alias urbes Roma, quam cum agris compararet, ante oculos obversata est

tror. Nam praeter illa exempla e carminibus petita, quae huc referenda non esse satis me demonstrasse puto, indicativus similiter atque hoc loco cum enuntiato „sunt qui“ coniunctus bis[1]) tantum legitur, coniunctivus autem sexies invenitur. Itaque apparet, indicativum cum enuntiato „sunt qui“ coniunctum in sermonibus quidem rariorem esse constructionem. Quare Orellii adnotationem sic mutatam velim: hoc loco coniunctivus praeferendus est. Haec enim constructio Horatio solita hoc loco satis etiam a codicibus firmatur. Neque plus valent, quae ceteri interpretes ad indicativum confirmandum disseruerunt. Quos, quum coniunctivus iam non in dubium vocari possit, me refellere supervacaneum puto. Holderus enim in satirarum editione critica, quam nuper edidit,[2]) quum plurimorum eorumque optimorum codicum auctoritate, tum Porphyrionis et Acronis testimoniis nisus „videar“ in textum restituit. Quae lectio quam bene cum legibus supra constitutis conveniat, quis est, qui non intelligat? Unicuique enim totam hanc satiram diligenter perlegenti facile apparebit, verba: „sunt quibus . . . . videar . . . .“ esse poëtae indignantis et valde mirantis, quod aliquis in satiris suis offenderit. Haec enim v. 62 sqq. profert poëta: „. . . . quid? cum est Lucilius ausus primus in hunc operis componere carmina morem, detrahere et pellam, nitidus qua quisque per ora cederet, introrsum turpis num Laelius aut qui duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen, ingenio offensi, aut laeso doluere Metello famosisque Lupo cooperto versibus? atqui primores populi arripuit populumque tributim.“ Itaque hanc fere sententiam verba „sunt quibus . . . . videar . . . .“ efficere mihi viden-

---

[1]) Sed ne his quidem locis indicativum recte se habere, postea demonstrare studebo.

[2]) Kelleri et Holderi omnium criticarum editionum optimam esse constat. Vol. II. fasc. I. satiras continentem edidit Holder. exeunte anno MDCCCLXIX.

tur: Trebati, quid faciam, mihi consule; nam praeter opinionem exstant homines quidam tam perverso animo, ut iis in satira nimis acer esse videar . . . ., sive, ut nostra lingua utar: Es gibt wirklich solche Menschen, denen ich in der Satire zu scharf scheine. . . .

Deinde in epist. II, 2, 180 sqq.: „gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas, argentum, vestes Gaetulo murice tinctas sunt qui non habeant, est qui non curet habere“, quamquam „curat“ lectio optimorum codicum auctoritate confirmatur, indicativus mihi probari non potest. Facillime enim et consulto librarii, qui forsitan illud: „est qui nec veteris pocula Massici spernit . . . .“ in mentem sibi revocarent, „curet“, quod in manuscriptis suis reperiebant, quum scripturae mendum putarent, in „curat“ mutare potuerunt, non percipientes, quid esset causae, cur idem enuntiatum „est qui“, quod bis, nisi fallor, in Horatii scriptis legitur illo loco cum indicativo, hoc loco autem cum coniunctivo esset coniunctum. Orellius quidem indicativum comprobare studet haec afferens: „est qui non curat: „sapiens“, quod quia certum est, utitur indicativo, cum illud „sunt qui non habeant“ a casu tantum pendeat. In eandem fere sententiam Schmidius haec disputat: „Schon der Umstand, dass Horaz nach sunt, qui — habeant zum Singular übergeht, zeigt deutlich, dass er bei dem zweiten Gliede keine unbestimmte Menge im Sinne hatte, sondern eine bestimmt gedachte Person, oder einzelne Personen, die sich durch gleiche Eigenschaften von der Menge unterscheiden, nämlich den wahren Weltweisen etc.“

Quid Orellius sibi voluerit, non satis intelligo. Quod quidem dicit, illud: „sunt qui non habeant“ a casu tantum pendere, verba sua non satis diligenter videtur perpendisse, quum id ipsum: „sunt qui non habeant“ aeque certum vel adeo certius sit, quam illud: „est qui non curet habere.“ Quod autem a casu quodammodo pendet, hoc est: habeatne

Rufus, Cajus, Quintus, Marius necne. Sed quid multa? non pendet ab hac re, uter adhibendus sit modus.

Neque magis, quae Schmidius attulit, mihi probari possunt. Nam primum valde dubium mihi videtur, num Horatius eo consilio ad singularem „est qui“ transierit, ut certos quosdam homines sive certum quoddam hominum genus significaret. Immo hoc uno consilio ductus dicendi rationem mutasse videtur, ut oratio facilior ornatiorque fieret, sicut in carm. I, 1, 3 et v. 19 sqq., ubi, quod quidem ad sententiam spectat, nihil interest inter: „sunt quos . . . . iuvat“ et „est qui spernit“. Accesserit forsitan hoc loco metri ratio, quum: „sunt qui non curent habere“ ad metrum non quadraret, ita ut quodammodo coactus poëta hoc loco enuntiato „est qui non curet“ usus sit, etsi eodem iure: „sunt qui non curent habere“ dicere poterat. Sed ut concedam poëtam ea, quam Schmidius attulit, ratione commotum singularem praetulisse, tamen nihilominus ab eo coniunctivum cum enuntiato „est qui“ coniunctum esse puto. Licet hoc loco certos quosdam homines sive certum quoddam genus hominum cogitaverit, tamen quid hoc sibi velit ad indicativum demonstrandum mihi quidem non liquet. Verba enim: „est qui . . . .“ sane quodammodo vocis „sapientis sive generis sapientium“ sunt descriptio, sed ita, ut simul vis ac natura hominum sapientium, id est qualitatis quaedam notio, in medium proferatur. Totum enim enuntiatum hanc fere sententiam efficere mihi videtur: multi homines res illas commemoratas non habent, sunt etiam homines quidam sive certum quoddam hominum genus eo animo, ut omnino habere illas res non curet, sive homo sapiens eo est animo, ut res illas pretiosissimas habere omnino non curet. Similiter in epist. I, 1, 77 sq.: „sunt qui crustis et pomis viduas venentur avaras“ verba: „sunt qui venentur“ sunt descriptio generis cuiusdam hominum, i. e. captatorum, et tamen hoc loco ad unum omnes codices coniunctivum habent. Itemque in carm. I, 1, 3 verba: „sunt quos . . . .

iuvat" nihil significant nisi homines gloriae cupidos, ubi tamen, etsi per se coniunctivus exspectatur, aliam ob causam indicativus positus est. Quid, quod Horatius ipso certo quodam subiecto apposito „sunt qui" cum coniunctivo coniunxit in epist. I, 1, 34 sq.: „sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem possis . . .", sane eam ob causam, quod qualitatis quaedam notio in verbis illis inest? Ubi vero haec qualitatis notio abest, ille, ut solutae orationis scriptores, indicativum enuntiatis illis subiecit, velut epist. II, 1, 63: „interdum rectum vulgus videt, est ubi peccat.", quo loco verba „est ubi" nihil aliud significant nisi: interdum sive nonnumquam, remota omni qualitatis notione. Luculentissime autem hoc apparet ex epist. II, 2, 128 sqq.: „. . . fuit haud ignobilis Argis, qui se credebat miros audire tragoedos in vacuo laetus sessor plausorque theatro; cetera qui vitae servaret . . . . patentem", de quo loco postea plura disputabimus. Videmus igitur poëtam „sunt qui" enuntiato, etiamsi certae cuiusdam rei est descriptio, ita tamen, ut qualitatis quaedam notio verbis contineatur, solutae orationis usum secutum semper coniunctivum subiunxisse. Qualitatis vero notionem in verbis „est qui non curet habere" inesse ipse Schmidius concessit, quum dicat: „eine bestimmt gedachte Person oder . . . . die sich durch gleiche Eigenschaften von der Menge unterscheiden." Nam haud dubie his: „gleiche Eigenschaften" nihil aliud significare voluit, nisi animum illum, quo commoti homines sapientes gemmas, marmor aliasque res pretiosas habere non curant. Quibus de causis non dubito dicere hoc loco etiam contra omnium fere codicum auctoritatem coniunctivum restituendum esse. Maiore quodam iure aliquis dubitare possit de coniunctivo: „sunt qui non habeant" i. e.: multi sive nonnulli non habent. Nam ab his verbis profecto omnis qualitatis notio abest, nisi quis haec verba sic explicare velit: sunt nonnulli tam pauperes, ut gemmas . . . . non habeant. Sed mihi quidem

illa explicatio praeferenda videtur, ita ut ex his ipsis verbis eluceat poëtam in re, de qua agitur, tritum solutae orationis usum observasse.

Denique in sat. I, 4, 24: „quod sunt quos hoc genus minime iuvet" i. e. quod sunt homines eo ingenio, ut eos . . iuvet, iuvat pro iuvet e carm. I, 1, 3 sq. illo: „sunt quos . . iuvat", in textum irrepsisse mihi videtur. Nam hoc loco enuntiatum „sunt qui" prorsus eodem modo usurpatum est atque sat. I, 1, 1 aliis locis. Quam ob rem, ne multus sim iure me contendere puto quum ceteris, quibus enuntiatum illud hoc modo adhibitum reperitur, tum hoc loco coniunctivum esse statuendum et „iuvat" in „iuvet" mutandum. Sed forsitan quispiam dixerit me hoc loco et epist. II, 2, 182 codicum auctoritatem prorsus neglexisse et hanc ob causam sententiam meam esse reiiciendam. Sed quamquam omnino vera et sana est ratio, quam Orellius ad carm. I, 1, 3 proposuit his verbis: „neque vero negari potest dubiis in locis controversiam non tam subtilibus interpretis cuiusque disputationibus quam praestantiorum codicum consensu distrahi debere", tamen nonnumquam codicum autoritatem omittendam esse quis est, qui neget? His certe locis, quibus et sententia totque exempla ex ipsis Horatii scriptis petita coniunctivum commendant, et bene cognoscitur, quam ob causam librarii ad indicativum descenderint, et facile „curat" et „iuvat" in „curet" et „iuvet" mutari potest, codicum auctoritas nos commovere non debet, ut indicativum praeferamus, nisi statuere volumus poëtam his locis oblitum esse, qua ratione ductus ceteris locis enuntiatis illis coniunctivum addiderit. Accedit autem ad argumenta pro coniunctivo prolata novum quoddam, quod quamvis sit grave tamen adhuc ab Horatii interpretibus fere neglectum est. Persius enim, qui in satiris componendis ubique fere Horatium ante oculos habuit eumque ita imitatus est, ut persaepe iisdem ver-

bis iisdemque similitudinibus uteretur,[1]) semper cum enuntiatis illis coniunxit coniunctivum.[2]) cf. sat. I, 41 sq.: „. . . an erit qui velle recuset os populi meruisse.“

ib. 76 sqq.: „est nunc Brisaei quem venosus liber Acci, sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.“[3])

sat. VI, 19 sq.: „. . . solis natalibus est qui tingat holus siccum muria vafer . . .“[4])

Persium autem, qui Horatium in ceteris fere rebus imitatus est, hac una in re propriam quandam rationem secutum esse, non est putandum. Quam ob causam Persii quam vel omnium codicum auctoritatem pluris faciens optimo iure duobus illis locis coniunctivum restituisse mihi videor.[5])

---

[1]) Omnia, quae huc pertinent, diligenter collegit atque illustravit Is. Casaubonus in commentatione quadam, quam inscripsit: Persiana Horatii imitatio. Hanc commentationem adiecit editioni suae Persii, Parisiis MDCXV p. 523—558.

[2]) Magno mihi gaudio est videre iam Bentleium sat. II, 2, 31 „unde datum sentis . . .,“ ut lectionem „datum“ confirmaret, ad Persii auctoritatem confugisse, quum haec adnotaret: „Atqui, aut plane nihil video, aut uterque locus tam Horatii quam Nasonis (Fast. VI, 103) firmo talo postea stabit, utpote a Persio fultus, cuius hoc est in sat. 5, 124: „liber ego. Unde datum hoc sumis tot subdite rebus.“ Neque enim dubites, quin perpetuus Nostri imitator hunc ipsum locum in animo habuerit . . . .“

[3]) Cum hoc loco apte conferri possunt Horatii sat. I, 4, 24: „quod sunt quos minime iuvet;“ sat. II, 1, 1: „Sunt quibus in satira videar nimis acer . . .;“ alii.

[4]) Huius loci eadem fere conditio est atque illius, qui est in Horatii epist. II, 2, 182: „est qui non curet habere.“ Utroque enim loco enuntiato relativo hominum quoddam genus describitur, illo (Horatii) loco „sapiens,“ hoc (Persii) „avarus.“

[5]) Minoris fortasse momenti sed tamen non prorsus omittendum est Iuvenalem quoque enuntiatis illis ubique coniunctivum subiecisse. cf. sat. VI, 366 sq.: „sunt quas eunuchi inbelles ac mollia semper oscula delectent . . . .“; XII, 101: „. . . . existunt qui promittant hecatomben.“; XIII, 86: „sunt in fortunae qui casibus omnia ponant et nullo credant mundum rectore moveri.“

Restat igitur ut pauca dicam de iis sermonum locis, quibus indicativus probandus est. In sat. II, 4, 47. enim legitur: „sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit“ i. e.: nonnullorum ingenium nova tantum crustula promit. De quo loco, quum indicativum necessarie esse positum facile quisque intelligat, plura verba facere non opus est.

De epist. II, 1, 63: „interdum rectum vulgus videt, est ubi peccat“, vide p. 16.

Ad postremum in epist. II, 2, 128 sqq.: „. . . fuit haud ignobilis Argis, qui se credebat miros audire tragoedos in vacuo laetus sessor theatro; cetera qui vitae servaret... patentem.“ indicativus recte se habet, quem iam Schmid. satis defendit his verbis: „Der Indicativ qui . . . credebat darf hier bei nachfolgendem qui . . . servaret nicht auffallen, da die Erzählung hier diesen Modus fordert, während unten zur Angabe einer Eigenschaft der Coniunctiv nothwendig ist.“ Primo enim enuntiato subiecto fortuitum quoddam attributum additur, quod minime e propriis eius moribus atque indole duci potest. Itaque Horatius hoc loco eodem iure indicativo usus est atque Cic. de sen. 19, 69: „fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnaverat annos, centum viginti vixerat.“ [1]) Alterum autem enuntiatum: „cetera qui vitae servaret . . .“ qualitatis notionem continet, quum hoc ad ingenium hominis atque mores referre cogamur, ut in nostra lingua: im Uebrigen ein solcher Mann, dass er . . .“

Quae quum ita sint, ut summam eorum, quae disputavimus, brevi comprehendamus, haud temere me coniectasse et demonstrasse puto, Horatium in sermonibus enuntiata „sunt qui, est qui,“ similia non propria quadam ratione ductum modo cum indicativo, modo cum coniunctivo con-

[1]) Hanc lectionem Orellii (ed. II. Turici MDCCCXLV sqq.) auctoritate nisus comprobavi. In codicibus legitur etiam „regnavit . . vixit“ et „regnaverit . . vixerit.“

iunxisse, sed plane constitisse in trito solutae orationis usu, qualis apud Ciceronem ceterosque scriptores classicos, qui vocantur, reperitur.

Sed alia est condicio carminum, ubi enuntiata illa cum indicativo coniuncta inveniuntur: carm. I, 1, 3 sq.: „sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuvat . . .“; ib. v. 19 sqq.: „est qui nec veteris pocula Massici nec partem solido demere de die spernit . . .“; carm. I, 7, 5: „sunt quibus unum opus est . . .“ Quibus locis, quae ab interpretibus ad indicativum et explicandum et defendendum prolata sunt, probari non posse iam antea satis demonstrasse mihi videor. Immo haud scio an ex usitato quidem Horatii usu nemo non coniunctivum exspectet, neque quisquam, si scripsisset ille: „sunt quos . . . iuvet; est qui . . . spernat; sunt quibus unum opus sit“, indicativum desideraret. Illis autem locis a poëta indicativum positum esse confirmare non dubito, qui e summo Graecos imitandi studio videtur exortus esse.[1]) In carminibus enim enuntiata „sunt qui, est qui,“ similia omissa illa qualitatis notione, quae in satiris et epistolis negligenda ei non erat, ut Graeci: „*εἰσὶν οἵ*, *ἔστιν ὧν*,“ similia, cum indicativo coniunxit, quasi posita sint pro „nonnulli, quidam, alii,“ similibus. Cum hac audaci licentia poëtica, quae dicitur, conferri potest illa, quae statuenda est in carm. I, 26, 1 sqq.: „Musis amicus tristitiam et metus tradam protervis in mare Creticum portare ventis . . .“ [2]) Alio modo mea quidem sententia indicativus explicari atque defendi non potest.

---

[1]) Plurima in explicandis Horatii carminibus Graecorum imitationi tribuenda esse ostendi non opus est, quum multi viri docti hanc rem diligenter tractaverint, quorum Arnoldium: „Abhandlung über d. Griech. Studien des Horaz. 1. Abth. (Progr. der Latein. Hauptschule zu Halle 1854/55)“ et Garckium: „Qu. Horatii Flacci carm. l. I collatis scriptoribus Graecis illustrati specimen (Progr. des Königl. Pädagogium zu Halle 1853) honoris causa nominasse satis sit.

[2]) cf. quae diximus p. 5 n. 4.

QUAESTIO II.

De variis verborum miscendi constructionibus.

Horatium in constructione verborum, quibus miscendi notio continetur, duplici ratione usum esse inter omnes poëtae interpretes constat.[1]) Reperias enim in Horatii scriptis et „miscere aliquam rem aliqua re"[2]) et „miscere aliquam rem alicui rei".[3]) Quamquam hoc quoque ab omnibus conceditur poëtam consulto modo hanc modo illam dicendi rationem amplexum esse, tamen, utra verborum illorum constructio singulis locis sit statuenda, adhuc interpretes inter se dissentiunt. Ebelingius quidem, vir doctissimus, in libello quodam, quem conscripsit de casuum usu Horatiano, quae cum aliorum tum eorum verborum, in quibus inest miscendi notio, ex usu Horatiano esset constructio planius demonstrare studuit.[4]) Qui, quamquam multa recte explicavit optimeque de poëtae illius scriptis meritus est, tamen rem, de qua agitur, minus caute ac diligenter tractavit. Contendit enim Horatium verbis, quae miscendi, coniungendi, similem notionem haberent, dativum subiecisse, quum in prosa oratione saepius praepositionem cum ablativo aut cum accusativo coniunctam sibi asciscerent. Deinde enumerat singulos locos, quibus huiusmodi verba leguntur, atque addit, nonnullis locis, ubi eadem sit forma et dativo et ablativo, ambiguum esse, utrum casum huic verbo poëta adiunxerit. Denique laudat duos

---

[1]) De tertia, quae rarius vel rarissime invenitur, constructione vide §. 3.

[2]) sat. II, 4, 55 sq.: „Surrentina vafer qui miscet faece Falerna vina . . ."

[3]) carm. I, 1, 29 sq: „me doctorum hederae praemia frontium dis miscent superis . . ."

[4]) Programm Wernigerode 1866 p. 27. §. 2. n. 1

locos, quibus ablativus forma grammatica sit confirmatus. Qua explicatione non multum profecisse Ebelingium apparet. Nam praeterquam quod incuria quadam, ut videtur, bis apertum in errorem incidit,[1]) nihil disseruit, nisi quae unicuique in litteris Latinis paululum versato patent. Neque Horatii interpretes, qui quidem ad manum mihi fuerunt, huic rei explanandae satis magnam operam navaverunt.[2]) Quum autem plurimis locis verborum miscendi constructione non perspecta poëtae sententiam intelligere non possimus, non dubito, quin Horatii amicis gratum facturus sim, si pro viribus indagare atque demonstrare studeam, utram verborum miscendi constructionem poëta singulis locis esse voluerit. Cui rei inquirendae propterea multae eaedemque graves difficultates existunt, quod nonnullis tantum locis ablativus forma grammatica demonstratur, ceteris in dubium vocari potest, utrum casum Horatius his verbis subiecerit. Quare longe plurimis locis ad rem, de qua agitur, diiudicandam ad sententiam decurramus necesse est. Atque ut certis rationibus iudicium nostrum nitatur, diligenter quaerendum et exemplis, quae ipsa poëtae scripta praebent, demonstrandum esse putamus, quid sibi velit et „miscere aliquam rem aliqua re“ et „miscere aliquam rem alicui rei“.

§. 1.

Ablativum igitur forma grammatica confirmari docet Ebelingius et in sat. II, 4, 55 sq.: „Surrentina vafer qui miscet faece Falerna vina . . . .“ et in eiusdem satirae v. 64 sq.: „. . . simplex e dulci constat olivo, quod pingui

---

[1]) In errore est, quum epod, 9, 5 et sat. II, 8, 45 non in eorum locorum numerum retulerit, quibus ablativum forma gramm. comprobat vide §. 1 p. 23.

[2]) Laudo tamen Nauckium (des Qu. Hor. Flacc. Oden und Epoden. 6. Aufl. Leipz. 1868) qui de pluribus carminum locis recte iudicavit.

miscere mero muriaque decebit". Quibus locis addimus sat. II, 8, 45 sqq.: „his mixtum ius est: oleo quod prima Venafri pressit cella; garo de sucis piscis Hiberi; vino quinquenni, verum citra mare nato, dum coquitur . . . pipere albo, non sine aceto . . ." Quem locum valde miror, quod Ebeling. adnumeravit iis locis, quibus aut dativus esset positus, aut propter formam grammaticam in dubium vocari posset, uter casus esset statuendus. Quamquam enim vox „his" et dativum et ablativum efficere potest, tamen e verbis, quae sequuntur: „oleo . . . . pipere albo" elucet hoc loco „his" esse ablativum. Nam res, quas poëta una voce „his" complexus est, verbis, quae sequuntur, singulae deinceps enumerantur, ita ut haec verba aperte appositionis vice fungantur, quam semper eundem casum obtinere atque substantivum, cui adiuncta sit, nemo nescit. Idem valet in epod. 9, 5 sq.: „sonante mixtum tibiis carmen lyra, hac Dorium, illis barbarum".[1]) Neque minus, si quidem codicum auctoritatem respicimus, ablativum forma grammatica tuetur in carm. IV, 1, 12 sqq.: „. . . lyraque et Berecynthia delectabere tibia mixtis carminibus non sine fistula", ubi Ebeling. male alteram lectionem: „. . . . lyraeque et Berecynthiae delectabere tibiae . . ." laudavit. Sed de hoc loco difficillimo postea pluribus verbis disputandum erit.

In sat. II, 4, 55 et 65 autem miscere aliquam rem aliqua re usitato poëtarum more usurpatum est pro commiscere sive permiscere[2]) sive confundere aliquam rem cum aliqua re.[3]) Quae verba quid significent satis notum esse putamus. Sed omittendum non est, saepe huic vel

---

[1]) cf. de hoc loco §. 5 p. 27.

[2]) Cicero saepius verbis compositis utitur, quamquam verbum simplex etiam nonnumquam invenitur, ut res publ. II, 1, 1, „gravitate mixtus lepos." cf. de nat. deor. I, 27, 75

[3]) Verbi confundendi eandem significationem et constructionem atque verbi miscendi poëta esse voluit in eiusdem satirae v. 67. „hoc ubi confusum sectis . . . herbis." epist. II, 3, 213.

illi rerum, quae miscentur, maiorem quandam vim tribui. Quod ubi fit, res, quae urgetur, ab Horatio quidem semper accusativo, sive, ubi verbo passivo usus est poëta, nominativo, numquam autem ablativo expressa est. Atque haec lex rerum naturae plane consentanea est. Nam ut recurram ad verba illa iam supra laudata „Surrentina vafer qui miscet faece Falerna vina“, notum est Surrentina vina cum faece haud admodum multa commixta esse, quo acriora fierent. Unde apparet poëtam dicere non potuisse: Surrentinis vafer qui miscet faecem Falernam vinis (abl.). Similiter in eiusdem satirae v. 65 „quod pingui miscere mero decebit . . .“, v. quod i. e. dulce olivum praecipuam iuris partem significat. Sed etiam omnes res, et quae commiscentur et quae admiscentur, eiusdem momenti esse possunt.

§. 2.

Prorsus alio modo „miscere aliquam rem alqa re“ explicandum est in sat. II, 8, 45: „his mixtum ius est“. Nam ius cum his rebus commixtum est i. e. „Die Brühe ist mit folgenden Dingen gemischt“ dici non posse in promptu est. Ex universis enim rebus, quae enumerantur, in unum coniunctis ius componitur. Poëta igitur hoc loco ut saepius praepositionem „ex“ omisit,[1]) quum dixerit „his ius mixtum est“ pro „ex his ius mixtum[2]) sive compositum est“, i. e. ex his rebus ius constat.[3])

---

[1]) Cicero praepositionem ponere solet, ut de off. III, 33, 119. „nec vero finis bonorum et malorum . . . . ex dissimillimis rebus misceri et temperari potest.“

[2]) Similiter dixit in sat. I, 10, 23 sq.: „at sermo lingua concinnus utraque suavior.“ pro: sermo ex utraque lingua concinne mixtus sive compositus. (cf. Kirchner. a h. l.)

[3]) sat. II, 4, 64 „. . . . simplex (ius) e dulci constat olivo.“

§. 3.

Exstant autem multi loci, quibus neque hoc neque illo neque ullo alio modo ablativus explicari potest. Quod ut exemplis demonstretur, conferatur carm. IV, 12, 27: „misce stultitiam consiliis brevem". Quae verba quid sibi velint, si quis „consiliis" ablativum esse putet, non liquet. Immo Horatio, si verbum miscendi cum accusativo et ablativo coniungere voluisset, dicendum erat: misce consilia stultitia brevi.[1]) Iure igitur hoc loco omnes, nisi fallor, interpretes vocem „consiliis" dativum intellexerunt, ita ut verbum miscendi idem significet atque verba immiscendi,[2]) admiscendi, adiungendi, quibus et poëtae et pedestris orationis scriptores accusativum et dativum subiiciunt.[3]) Quae verborum miscendi constructione ubi usus est poëta, semper res dativo expressa urgetur, numquam altera, accusativo expressa. Neque ab Horatio quidem haec verborum miscendi constructio ita usurpata est, ut utraque res, et quae immiscetur, et cui altera immiscetur, eiusdem sit momenti.

§. 4.

His praemissis sequitur explicandarum verborum miscendi constructionum difficultates inde exstare, quod Horatius et omnibus fere locis verbo simplici usus est pro verbis compositis,[4]) quorum ipsa ex forma perspicuum est, utrum casum sibi asciverint, et praepositiones plane omisit.

---

[1]) cf Nauck.

[2]) cf. Krüger. ad sat. I, 10, 20.

[3]) Hor. sat. I, 2, 75 sq.: „fugienda petendis immiscere." sat. II, 3, 247: „. . . plostello adiungere mures." Verg. georg I, 454: „sin maculae incipient rutilo immiscerier igni." Ovid. heroid. VI., 73: „immista vota timori." Liv, III, 50: „et immisti turbae militum togati" XXXI, 35: „partim desilientes (equites) immiscentesque se peditibus pugnabant."

[4]) Sex tantum locis verba composita leguntur, sedecim autem verbum simplex invenitur.

Horatius enim ut poëta verbo simplici magis favebat, quippe quod omnes illas notiones, quas prosae orationis scriptores modo hoc modo illo verbo composito exprimebant, contineret.[1]) Accessit praeterea metri ratio. Carminum quidem nonnullis locis, quibus aut trochaeis aut iambis opus erat, metrum verba composita „commiscere, permiscere, intermiscere, admiscere, immiscere" omnino respuit, ut in carm. III, 19, 12: „miscentur cyathis pocula commodis" et epod. 9, 5: „sonante mixtum tibiis carmen lyra" aliis locis. Praepositiones autem poëtae semper quam maximae brevitatis et gravitatis studioso nimis molestae erant. Quae cum ita sint, singulis locis, quamnam verborum miscendi constructionem adhibuerit poëta, facilius apparebit, si sententia cuiusque loci perspecta aut verbum simplex in verbum compositum mutabitur aut praepositio quaedam substituetur. Eis autem locis, quibus verba composita sunt, res ex aliorum scriptorum usu facile diiudicatur. Sed haec hactenus. Iam ad singulos locos transeamus.

§. 5.

Cum accusativo et ablativo sive, ubi verbo passivo usus est poëta, cum nominativo et ablativo verba miscendi ex mea sententia coniuncta sunt his locis: carm. I, 1, 3 sq.:

---

[1]) Horatium verba simplicia saepissime pro verbis compositis usurpasse, neminem scripta eius diligenter legentem effugiet. Sic verbo simplici iungendi usus est pro verbo composito adiungendi sive coniungendi in carm. I, 4, 6: „iunctaeque Nymphis Gratiae decentes." epist. I, 5, 26 sq.: „ut coëat par iungaturque pari . . . ." carm. II, 2, 11; III, 19, 17; carm. saec. v. 28; epist. II, 3, 2. De his verbis iungendi disputat Iahnius ars poët. latin. p. 127: „Haec (verba coniunctionem significantia) sequitur dativus pro praepositione cum." Alia exempla huiusmodi sunt carm. I, 15, 3: „uret" pro „combure t"; I, 16, 12: „ruens" pro „irruens"; ib. v. 19: „stetere" pro „exstitere"; I, 35, 36: „linquimus" pro „relinquimus"; II, 3, 14 „vexere" pro „evexere"; sat. I, 1, 116 „temnens" pro „contemnens"; alia.

„multos castra iuvant, et lituo tubae permixtus sonitus . . ." i. e. tubae sonitus permixtus cum lituo sive cum litui sonitu.[1]) Ablativum confirmat etiam verbum permiscendi, quod et poëtae et prosae orationis scriptores aut cum accusativo et ablativo aut cum accusativo et praepositione „cum" coniunxerunt.[2])

carm. III, 19, 11 sq.: „. . . . tribus aut novem miscentur cyathis pocula commodis", i. e. pocula sive aqua, quae inest in poculis, commode commiscetur cum tribus aut novem cyathis vini.[3])

epod.: 9, 5 sq.: „sonante mixtum tibiis carmen lyra, hac Dorium, illis barbarum",[4]) i. e. sonante lyra carmen commixtum sive permixtum cum tibiarum carmine,[5]) sive sonante lyra simul cum tibiis carmen quoddam,[6]) hac (sc. sonante) Dorium, illis (sc. sonantibus) barbarum. Significat enim poëta symphoniam quandam ex lyrae et tibiarum duarum modis compositam.[7]) Vocem „tibiis" autem non explicari posse nisi ablativum et sensus comprobat et demonstrant verba quae sequuntur „hac Dorium, illis barbarum", quippe quae appositionis vice ad voces „lyra" et „tibiis" additae

---

[1]) cf. Nauck. a. h. l.

[2]) Lucret. de rer. nat. III, 352: „atque animam credit permixtam toto corpore." Caes. bell. Gall. 7, 62: „sic cum suis fugientibus permixti . ." Cic. in Vat. 5, 13: „ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas."

[3]) cf. Nauck.: „der Indicativ nennt blos den löblichen Brauch, den Sextarius mit 3 oder 9 Theilen Wein zu mischen."

[4]) cf. Nauck.: „tibiis Ablativ."

[5]) cf carm. I, 1, 23 sq.

[6]) Carmen saepius instrumentorum modos significat. cf. Hor. carm. IV, 12, 9 sq.: „dicunt in tenero gramine pinguium custodes ovium carmina fistula." Lucret. l. c. IV, 978 (ed. Bipont.): „et citharae liquidum carmen." Ovid. heroid. XII, 139 sq.: „tibiaque effundit socialia carmina vobis, at mihi funerea flebiliora tuba." id. trist. IV, 1, 12: „arundineo carmine mulcet oves." Propert. II, 1, 9. „carmen lyrae"

[7]) cf. Orell. Symphonias actas esse in Romanorum epulis testis est Hor. epist. II, 3, 374: „ut gratas inter mensas symphonia discors."

fungantur.[1]) Fuerunt tamen, qui, nescio quibus rationibus ducti, vocem „tibiis" dativum putarent.[2]) Quorum sententiam refellere supervacaneum puto. Carmina autem proprie dicta, quae nonnulli interpretes cogitaverunt,[3]) verbis, quae nunc quidem leguntur, significari non possunt.

carm. IV, 15, 29 sqq: „virtute functos more patrum duces Lydis remixto carmine tibiis . . . . canemus" i. e. virtute functos . . . carmine remixto cum Lydis tibiis canemus sive virtute functos . . . . Lydis tibiis dicemus.[4]) Vocem „tibiis" ablativum esse liquet. Carmina enim remiscentur cum tibiis, non carmina remiscentur tibiis (dat.), ita ut „remiscere" idem significet atque „immiscere".

Idem verbum remiscendi [5]) cum accusativo et ablativo coniunctum invenire licet epist. II, 3, 151 sq.: „atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, primo ne medium, medio ne discrepet imum", i. e. sic falsa cum veris permiscet sive carmen sic ex falsis et veris commiscet, ut, quae sint vera, quae falsa, discerni non possit.

---

[1]) cf. §. 1. p. 23.

[2]) cf. Orell. ad carm. IV. 1, 22: „unice recte dativi ut epod. 9, 5.," et Dillenb. ad eundem locum: „de dat. cf. epod. 9, 5."

[3]) cf. Dillenb.: „Dorica harmonia ad bellicos cantus, Phrygia ad compotationes aptissima; utraque coniuncta bene miscetur carmen, quo laetitia de aliqua victoria percepta exprimatur."

[4]) cf. carm. I, 17, 18 sqq.: „. . . et fide Teia dices laborantes in uno Penelopen vitreamque Circen."

[5]) Verbum remiscendi rarissimum est et, exceptis duobus his locis Horatianis, non est usurpatum nisi bis a Seneca: de const. sapientis c. 7: „aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtum cibo perdidit," et epist. 71: „aut in meliorem vitam emittitur (sc. animus) . . . aut certe sine ullo futurus incommodo naturae suae remiscebitur et revertetur in totum." Mirum quidem videtur, quod Seneca utroque loco verbum remiscendi cum nominativo et dat. coniunxit. Sed recte iam Orell. ad Horatii verba adnotavit: „hoc quoque verbo tali significatione pro „permiscere" Horat. solus usus videtur. Senec. epist. 71 usurpat pro „rursus miscere," nisi melius explicetur: rursus immiscetur sive admiscetur. Altero autem loco (de const. 7) positum est pro „immiscere."

sat. I, 10, 24 „. . . ut Chio nota si commixta Falerni est,“ i. e. ut si vinum Falernum commixtum est cum Chio.“ Falernum enim vinum Romani cum Chio commiscebant, quo mollius et suavius fieret.[1]) Mirum est quod Kirchnerus, quamquam explicationem a nobis laudatam comprobat[2]), tamen vocem „Chio“ dativum putat, quum sic vertat: „Wie wenn Chier man mischt mit der Sorte Falerner's[3]). Sed in errorem incidisse Kirchnerum, quod quidem rarissime huic viro doctissimo accidit, negari non potest. Idem demonstrat verbum commiscendi, cui aeque ac verbo permiscendi et poëtae et prosae orationis scriptores aut accusativum et ablativum[4]) aut accusativum et praepositionem „cum“ subiecerunt[5]).

sat. II, 2, 73 sq.: „. . . at simul assis miscueris elixa, simul conchylia turdis.“ Hoc loco fortasse dativum quispiam praeferat, sic fere haec verba explicans: at simul assis admiscueris sive adiunxeris elixa, simul conchylia turdis. Nam sine dubio Romani neque elixa cum assis neque conchylia cum turdis commiscebant, quem sensum voces „assis“ et „turdis,“ si ablativi vice funguntur, videntur efficere. Sed tamen mihi, si diligenter verborum sententiam respicio, voces „assis“ et „turdis“ ablativi intelligendi videntur esse. Hoc enim Ofellius dicit: at simul assa et elixa, simul conchylia

---

[1]) cf. Heind.; Orell.; Krüg.

[2]) cf. Kirchn. ed. sat. t. II. a. p. 344: „Der kräftige und herbe Falerner wurde durch eine Beimischung des süssen Chierwein milder und lieblicher.“

[3]) Eandem sententiam protulit commentarii loco modo laudato: „wenn den Chier man mischt. Es sollte eigentlich umgekehrt heissen, wenn Falerner mit Chier man mischt.“

[4]) cf. Lucret. de rer. nat. VI, 321: „at tepefacta tamen veniat commista calore.“ ib. 1157 „. . . et gemitu commista querela.“ Virg. georg. II, 327: „magnus alit magno commixtus corpore fetus.“ id. Aen. VIII, 255.

[5]) cf. Lucret. l. l. VI, 275: „. . . seque simul cum eo commiscuit igni.“ Cic. pro domo sua 57, 144: „cuiusque (Vestae) ignem . . . non sum passus . . . cum totius urbis incendio commisceri.“

et turdos in una coena statim deinceps comederis, i. e. simul elixa cum assis, simul conchylia cum turdis quasi commiscueris dulcia se . . ." Possit forsitan id cogitari, quod in stomacho fieri solet. Sed utcunque res se habet, ex Ofelli sententia elixa cum assis, conchylia cum turdis commiscerentur necesse erat, ut illud fieret, quod docent verba insequentia: „dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum lenta feret pituita . . ."

sat. II, 4, 24: „Aufidius forti miscebat mella Falerno" i. e. Aufidius mella commiscebat cum forti vino Falerno ad efficiendum mulsum, [1]) quod initio coenae Romani libere solebant. [2])

epist. I, 16, 54: „sit spes fallendi miscebis sacra profanis" i. e.: sit spes fallendi commiscebis sive confundes sacra cum profanis. i. e. non iam discernes sacra et profana.

epist. II, 3, 343 sq.: „omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci, lectorem delectando pariterque monendo", i. e. omne tulit punctum, qui utile cum dulci commiscuit sive coniunxit. [3]) Sunt qui vocem „dulci" dativum esse putent, sic fere verba explicantes: omne tulit punctum, qui utile dulci immiscuit, sive qui dulce cum utili coniunxit. [4]) Qua explicatione comprobata urgetur vox „dulci", quasi apud

---

[1]) cf. Krüg.

[2]) Recte haec verba explicata esse testis est ipse Horatius sat. II, 2, 15 sq.: „sperne cibum vilem: nisi Hymettia mella Falerno ne biberis diluta . . ." cf. ibid. Heind.

[3]) Mecum consentire video Dillenburg., quum haec ad v. 333 sqq. adnotet: „Alterum ex iis praeceptis . . . hoc est: poëtam, qui omnibus velit probari, docere simul debere et delectare legentes, miscendam esse utilitatem carminum cum dulcedine."

[4]) Hanc sententiam amplecti videtur Orell. haec adnotans: „ut nostris temporibus sic antiquitus, magna erat controversia, quatenus poësis non solum proprium et suum munus conficere, verum etiam sensu ἠθικῷ utilis esse deberet"

Romanos, ut nostra aetate, summum atque proprium poëtarum munus fuerit, iucunda quaedam dicendo homines delectare. Sed notum est apud Romanos quum omnium rerum tum poësis summum finem fuisse utilitatem. Inde factum est, ut carmina, quibus praecepta quaedam continerentur, maximi aestimarentur colerenturque. [1]) Quid, quod Horatii scripta fere omnia et carmina et sermones ad homines docendos erudiendosque composita sunt? Quare consulto et cogitate primo loco posuit Horatius: „aut prodesse volunt (sc. poëtae)", quippe quod summum esset poëtarum munus, secundo: „aut delectare poëtae." Repugnat igitur iis, qui utilitatem solum poësis finem esse putent. Nam ipsius sententia ad utilitatem accedat suavitas quaedam et dulcedo, simulque idonea vitae et iucunda dicant poëtae necesse est.

§. 6.

Venimus ad locum ab interpretibus varie explicatum, qui legitur in carm. IV, 1, 21 sqq.: „illic . . . . lyraque et Berecynthia delectabere tibia mixtis carminibus non sine fistula", i. e. delectabere carminibus commixtis sive compositis ex lyrae, tibiae Berecynthiae, fistulae modis. [2]) Voce carminibus igitur aeque atque in epod. 9, 5. symphoniae quaedam ex lyrae, tibiae, fistulae modis compositae significantur. [3]) Haec mea est de hoc loco difficillimo sententia. Keller., Orell., Dillenb., Ebel. autem alteram lectionem plurimorum codicum auctoritate confirmatam „lyraeque et Berecynthiae delectabere tibiae mixtis carminibus non sine fistula" comprobaverunt, voces lyrae", „tibiae" dativos explicantes. [4])

---

[1]) cf. Teuff. Röm. Litter. p. 29.

[2]) De praepositione „ex" omissa cf. §. 2.

[3]) Eadem instrumenta coniunguntur carm. III, 19, 18 sqq.: „. . . cur Berecynthiae cessant flamina tibiae? cur pendet tacita fistula cum lyra?"

[4]) cf. Orell. „unice recte dativi, ut epod. 9, 5." Dillenb: „de dat. epod 9, 5." Ebel l. l. §. 2 n. 1: „semel (carm. IV, 1, 22) et genitivum opinantur interpretes nonnulli, sed iniuria."

Qui viri, quomodo dativos illos „lyrae", „tibiae" intellexerint, mihi non liquet. Nam si voces „lyrae", „tibiae" dativi vice funguntur, haec fere verborum sententia exhibetur: delectabere carminibus immixtis lyrae et tibiae non sine fistula. Sermo est igitur de carminibus proprie dictis. [1]) Sed illi mecum consentientes, carmina hoc loco instrumentorum modos sive concentus dici contendunt. [2]) Quod si verum est, voces „lyrae", „tibiae" haud dubie sunt genitivi pendentes a voce „carminibus", et participium „mixtis" non multum abhorret ab adverbio „mixtim", ut in carm. I, 28, 19: „mixta senum ac iuvenum densentur funera" [3]) Quae verborum explicatio mihi quidem comprobari non potest. Iure igitur Pauly, quem secuti sunt Nauck., Haupt., alii, nisus praesertim codicis Cruquiani auctoritate, lectionem a me laudatam in textum recepit. Sed carmina proprie dicta, quae nonnulli interpretes hoc loco cogitaverunt, [4]) voce „carminibus" significari non possunt, quum de his agatur v. 25 sqq.: „illic bis pueri die numen cum teneris virginibus tuum laudantes (i. e.: hymnos in tuum honorem canentes) pede candido in morem Salium ter quatient humum". [5])

§. 7.

Restant denique loci, quibus Horatius verbis miscendi accusativum et dativum, sive ubi verbis passivis usus est, nominativum et dativum subiecit.

---

[1]) Ne hoc quidem modo dativos defendi posse sequitur ex iis, quae §. 5. ad carm. IV, 15, 29 disputavimus. Mecum faciunt Nauck. et Bentl.

[2]) cf. Orell.: „Utrobique (h. l. et epod. 9, 5.) carmina significant modos, concentus horum instrumentorum." Dillenb.: „Indicatur concentus trium instrumentorum; cui accedunt mox cantus et saltatio."

[3]) Idem observavit Nauck a. h. l.

[4]) cf. Nauck.: „delectabere carminibus, lyra et tibia mixtis oder remixtis." Qua sententia comprobata constructio verbi „miscere" eadem esset atque carm. IV, 15, 30, de quo loco cf. §. 5.

[5]) cf. Orell.: „De carminibus proprie dictis mox loquitur."

carm. I, 1, 29 sq.: „me doctarum hederae, praemia frontium dis miscent superis . .“ i. e. me hederae, praemia doctorum frontium, dis superis immiscent sive in deorum numerum inserunt. [1])

carm. III, 5, 37 sq: „hic unde vitam sumeret inscius pacem duello miscuit . . .“, i. e. pacem duello immiscuit, [2]) sive medio in bello a populo Romano suscepto ipse pro se pacem cum hostibus confecit iisque se credidit.

carm. IV, 5, 33 sqq.: „te multa prece, te prosequitur mero defuso pateris, et Laribus tuum miscet numen . . . .“, i. e. Laribus tuum numen immiscet. [2])

carm. IV, 11, 9 sq.: „cuncta festinat manus, huc et illuc cursitant mixtae pueris puellae“, i. e. puellae cursitant admixtae sive adiunctae pueris, [3]) quod fere idem est atque: „cursitant pueri et puellae sive pueri cum puellis. [4])

sat I, 2, 74 sqq. „. . . tu si modo recte dispensare velis ac non fugienda petendis immiscere . . .“

sat. I, 10, 20 sq. „at magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis miscuit . . .“ i. e. at magnum fecit quod verbis Latinis Graeca immiscuit sive intermiscuit. Sin autem ablativum adhibere voluisset poëta, dicendum erat: at magnum fecit quod verba Graecis Latina miscuit. Ceterum haec verba optime ipse poëta explicavit infra v. 27 sqq.: „scilicet oblitus patriae patrisque Latini . . . patriis intermiscere petita verba foris malis, Canusini more bilinguis?“, de quo loco pluribus verbis opus non est, quum vox „patriis (sc. verbis)“ quin sit dativus, propter verbum „intermiscere“ [5]) dubium esse non possit.

---

[1]) Proxime ad hunc locum accedit eiusdem carminis v. 35: „quodsi me lyricis vatibus inseres.“

[2]) cf. carm. I, 1, 30.

[3]) Similiter „iunctus“ pro „adiunctus“ cum dativo coniunctum invenitur in carm. III, 19, 17; I, 4, 6, aliis locis.

[4]) Sic legitur in carm. IV, 1, 25, sq. loco iam supra commemorato: „illic bis pueri die numen cum teneris virginibus . . . .“

[5]) Verbum intermiscendi perraro in Latinorum scriptis reperitur.

QUAESTIO III.

De participii, gerundii, supini usu Horatiano.

Priusquam ad rem ipsam me conferam, quam in hac quaestione me tractaturum esse professus sum, moneo, ne quis exspectet me nova de Latinorum participio, gerundio, supino praecepta prolaturum esse, praesertim quum res illae sint notissimae et a viris doctissimis summa cum diligentia inquisitae atque illustratae.[1]) Hoc unum mihi proposui, quam diligentissime quaerere, quatenus Horatius leges illas, quas homines ingenuis artibus instructi politique ex optimorum pedestris orationis scriptorum usu de participio, gerundio, supino statuerunt, aut observaverit aut neglexerit. Qua inquisitione si quid ad explicanda poëtae illius opera contulerim, mihi satis erit. Sed iam ad rem ipsam transeamus.

CAP. I.

De participio.

Ac primum quidem disseram de participio, cuius naturam atque indolem Haasius[2]) optime his verbis explicavit:

Legitur tamen et quidem ubique c. accus. (sive nom.) et dativo coniunctum in Livii l. IV. c. 56 „quod turbam indignorum canditatorum intermiscendo dignis . . .“; ib. X, 20; Verg. ecl. X, 4 sq. „sic tibi . . . Doris amara suam non intermisceat undam“; nonnullis aliis locis.

[1]) Ut alios omittam, qui fusius hac de re egerunt, laudo Reisigium (Vorles. über lat. Sprachwissensch. ed. Haas. Lips. 1839, p. 741—778), Haasium (adnot. ad Reisigii verba), Gernhardum (Opuscula Lips. 1836 p. 110—152), Madvigium (Latein. Gramm. §. 423—432 ed. III.)

[2]) cf. Haas. l. l. adn. 578.

„Die Frage, ob das Particip ein Adjectiv sei, wird dahin beantwortet, dass es ein relatives Adject ist, ... es wird ein unter Umständen vorhandenes, durch Zeitbestimmungen beschränktes Prädikat in dem Part. gegeben.“ Idem docet[1]) participia saepe etiam verbi natura plane omissa pro ipsis adiectivis usurpari, velut in Horatii carm. I, 17, 11 „Usticae cubantis“; I, 25, 17: „hedera verenti“; II, 16, 1 sq.: „. . . patenti . . . . Aegaeo“; epod. 5, 11: „trementi . . . . ore“;[2]) carm. III, 1, 5: „regum timendorum“; aliis locis.[3]) Plerumque autem participia naturam verbi non deponunt, quo modo maxime varie, potissimum autem, ut oratio sit pressa, usurpantur. Quod Horatius participia multo saepius, quam boni pedestris orationis scriptores, et quacunque ratione adhibuit, mirum non videbitur ei, qui meminerit illud, quod poëta dicit sat. I, 10, 9 sq.: „est brevitate opus, ut currat sententia neu se impediat verbis lassas onerantibus aures.“ Sed quominus omnia, quae huc spectant, proferam, angusti huius libelli fines me impediunt. Quam ob causam ea potissimum, quae mihi gravissima et ad cognoscendum perspiciendumque Horatii usum loquendi apta et necessaria videntur, afferam, id est omnia, quae legibus, quas boni solutae orationis scriptores observaverunt, repugnant.

§. 1.

Participia praeteriti temporis complurium verborum deponentium praeter activam, quae usitata est, etiam pas-

---

[1]) cf. Haas. l. l. adn. 527.

[2]) cf. Nauck.: „trementi Adj. das Zucken seiner Lippen ist bereits bleibend geworden.“

[3]) In soluta oratione participia futuri activi, exceptis „futurus, venturus“, nonnullis aliis eiusdem fere significationis, ita non usurpata esse docet Schultz. Latein. Gramm. § 405 adn. 1. Apud Horatium quidem unum participium „futurus“ adiectivi vice fungitur in carm. III, 29, 29: „futuri temporis.“

sivam significationem habere notum est. In Vergilii quidem, Ovidii, aliorum scriptis multa huiusmodi participia reperiuntur.[1]) Horatius autem sex tantum participiis passivam sententiam attribuit: carm. I, 1, 25: „detestatus"; carm. I, 32, 5: „modulatus"; carm. II, 15, 15: „metatus"; idem sat. II, 2, 114; carm. III, 5, 24: „populatus"; epod. 11, 8: „abominatus"; sat. II, 2, 124: „veneratus". Sed quum horum verborum exceptis verbis detestandi et modulandi[2]) etiam activa forma apud Plautum, Vergilium, Propertium, alios exstet,[3]) participia illa mera participia perfecti passivi explicari possunt. Neque tamen participia illa, quae modo commemoravi, cum verbo „esse" coniunguntur, ut efficiatur perfectum passivum.[4])

De participio „exsecratus" ita usurpato, ut medii significationem habeat, vide §. 4 s. f.

§. 2.

Venio ad participia pro enuntiatis secundariis posita. Ac primum participia adhibentur pro pronomine relativo, pro coniunctionibus „dum, quum, postquam, ubi, quia, si, quamquam", similibus, pro particula copulativa „et" cum verbi tempore quodam finito coniunctis.[5]) Quae exemplis

---

[1]) cf. Krüg. Latein. Gramm. §. 137.

[2]) Horum autem duorum verborum formam activam, quamquam in libris non exstat, ab antiquis scriptoribus usurpatam esse vestigia satis multa docent. Apuleius quidem, quem de industria antiquos scriptores imitatum esse constat, verbo detestandi passivam sententiam attribuit

[3]) cf. Plaut. trin. III, 2, 82 „. . . multa obomina . ."; truc. II, 5, 23 „. . . ut venerem Lucinam meam."; Verg. cul. 172: „metabat late circum loca . . . ." id. Aen. I. 537: „. . . populare Penates."

[4]) In sat. I, 10, 6 quidem olim legebatur „exhortatus est." Sed praeterquam quod versus illi 1—8 Horatio recte abiudicantur, Holderus ex plurimorum optimorumque codicum auctoritate scripsit „exoratus."

[5]) cf. Schultz l. l. § 407, 408, 409, 410.

confirmare, quum in unoquoque fere carmine talia participia legantur, videtur supervacaneum esse. Solet enim Horatius illa adhibere exceptis iis locis, ubi participia orationem minus profluentem elegantemque redderent. Sed nonnulla dicenda esse puto de participiis et masculini et neutrius generis quasi pro substantivis positis. Nonnumquam enim participia praesentis et praeteriti temporis, generis masculini, et a poëtis et a solutae orationis scriptoribus pro „is qui; ei qui"; similibus usurpantur, ubi nostra lingua substantivis verbalibus, quae vocantur, utimur, velut pro „is, qui audit" dicimus „der Zuhörer". Atque in poëtarum operibus omnes casus et uterque numerus illorum participiorum inveniuntur. Cicero autem, Caesar, alii boni pedestris orationis scriptores nominativo et accusativo quidem singularis numeri usi non sunt. Cuius rei testis est Madvig. (l. l. §. 425). cf. etiam Schultz. (l. l. §. 408, 2. adn). Simili modo atque multo saepius participia generis neutrius adhibentur, ubi aut enuntiatum relativum aut participia cum substantivo „res" coniuncta exspectantur. Atque in soluta oratione pro enuntiatis illis usitata sunt neutra participiorum praeteriti, rarius praesentis, rarissime futuri temporis inveniuntur.[1]) In Horatii autem libris haec omnia exceptis participiis futuri activi[2]) sexcenties leguntur. Quod quam verum sit, nonnullis exemplis nunc libet probare. epist. I, 6, 10: „quo cupiens, pacto . . ."; sat. II, 3, 275: „aedificante casas qui sanior . . ." i. e. quam aedificans; epist. I, 17, 44: „plus poscente ferent . . ." i. e. quam poscens; sat. II, 3, 53 sq.: „. . . est genus unum . . . timentis . . ."; carm. II, 16, 2: „prensus Aegaeo . . ."; carm. III, 1, 25: „desiderantem quod satis est . . .". Semel etiam participium futuri passivi hoc

---

[1]) cf. Gernhardi opuscula p. 139: „nude vero posita futuri utriusque participia rariora sunt apud Ciceronem."

[2]) Unum participium „futurus" occurrit epist. II, 3, 172: „. . . avidusque futuri," aliis locis.

modo usurpatum est, epist. I, 16, 40: „quem nisi mendosum et medicandum . . .“ [1])

§. 3.

Nunc afferam locos, quibus participium perfecti passivi, cum substantivo quodam coniunctum, positum est pro substantivo verbali, cui additus est genitivus aut rei aut personae. [2])

carm. I, 1, 4 sq.: „. . . metaque fervidis evitata rotis . . .“ ; carm. I, 3, 29 sq.: „post ignem aetherio domo subductum . . .“ ; carm. II, 4, 10 sqq.: „. . . et ademptus Hector tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.“ ; [3]) carm. III, 1, 25 sqq.: „desiderantem . . . neque tumultuosum sollicitat mare . . . non verberatae grandine vineae.“ ; carm IV, 2, 41 sqq.: „concines . . . urbis publicum ludum super impetrato fortis Augusti reditu.“ ; sat. II, 3, 13: „invidiam placare paras virtute relicta.“ ; epist. I, 9, 11 sq.: „. . . quodsi depositum laudas ob amici iussa pudorem . . . .“ ; epist. II, 2, 41 sq.: „Romae nutriri mihi contigit atque doceri iratus Graiis quantum nocuisset Achilles“. cf. carm. 1, 8, 12; IV, 4, 70 sqq.; IV, 11, 25 sqq.; IV, 15, 2; epod. 15, 23; sat. I, 1, 75; I, 2, 112; II, 1, 66 sq.; II, 3, 13; II, 4, 82; epist. I, 1, 24 sqq.; I, 5, 9 sq.; I, 14, 7; II, 1, 180 sq.

---

1) Haec est quidem lectio plurimorum optimorumque codicum. Nonnulli tamen pro „medicandum“ habent mendacem, quos secuti sunt Schmid. Krüg, alii.

2) Cicero, Caesar, alii boni solutae orationis scriptores haec participia ita fere usurpant, ut ea coniungant cum praepositionibus „ante“ et „post.“ velut in Tusc. disp. I, 1, 3: „. . Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam.“ Saepissime autem illis Livius posterioresque scriptores utuntur.

3) Non facere possum quin cum hoc dicendi genere audacissimo conferam Taciti illud, quod invenitur in annal. I, 8: „quum occisus dictator Caesar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur.“

§. 4.

Paulo copiosius videtur dicendum esse de participio perfecti quasi medii. Inveniuntur enim in Horatii libris multa participia perfecti passivi cum casu quarto constructa, quae ab interpretibus adhuc varie explicata sunt.[1]) Sed haec res facilis est intellectu. Participia enim illa contra tritum pedestris orationis usum Graecorum perfecti medii participiorum vices gerunt et hanc ob causam recte cum accusativo coniuncta sunt.[2]) Quod luculentissime apparet ex carm. I, 2, 31 sq.: „nube candentes humeros amictus augur Apollo", ubi Nauck. bene confert Homeri Iliad. V, 186: „νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους". Multa autem Graecorum medii vestigia in Latinorum scriptorum libris esse nostra memoria nemo est, qui neget.[3]) Nam nota est medii illa notio verborum: „induor, exuor".[4]) cf. Vergilii Aen. II, 392 sq.: „Androgei galeam clipeique insigne decorum induitur . . ."; Horatii epist. I, 17, 28: „quidlibet indutus . . ."; alios locos.[5]) Neque minus apertum est medium epist. II, 3, 302: „qui purgor bilem . . ." Finita quidem verborum tempora medii significationem perraro receperunt; in participiis autem perfecti passivi saepissime notio illa inest. Sed quid opus est plura? Ex exemplis, quae commemorabo, id, quod, dixi, intelligi posse confido.

cf. carm. I, 1, 21 sq.: „. . . membra . . stratus . ."; II, 7, 7 sq. „. . . coronatus nitentes malabathro Syrio ca-

---

[1]) cf. Ebeling. l. l. cap. II, §. 1.

[2]) cf. Madv l. l. §. 237 b.

[3]) Fusius hac de re egit Stadelm. in libello quodam, quem scripsit: De indole et usu medii Graecorum verbi in diligentiori literarum Latinarum interpretatione haud negligenda. Dessau 1824. Illum autem librum inspicere non potui.

[4]) cf. Madv. l. l. §. 237 a.

[5]) cf. Verg. Aen. II, 511; IV, 493; Ovid. met. VII, 161 sq.; Liv. XXV, 37.

pillos"; II, 11, 15: „canos odorati capillos"; ib. 23 sq.: „maturet (sc. Lyde) in comptum Lacaenae more comas religata nodum"; sat. I, 6, 74: „laevo suspensi loculos tabulamque lacerto"; [1]) idem versus recurrit epist. I, 1, 56; cf. carm. IV, 8, 33; IV, 11, 5; epod. 5, 15 sq; sat. I, 1, 5. [2]) Participium autem perfecti medii casu obiecti non addito reperitur his locis: carm II, 11, 16 sq. „. . . Assyriaque nardo potamus uncti . ."; carm. III, 5, 31 sq: „si pugnat extricata densis cerva plagis . . ."; III, 16, 8: „converso in pretium deo"; epist. I, 1, 14: „nullius addictus iurare in verba magistri. [3]) cf. epod. 5, 59; 9, 12; sat. II, 2, 32; II, 7, 58 sq.

Item medium intelligendum est participium praeteriti temporis verbi deponentis exsecrandi, quod legitur in epod. 16, 18: „velut profugit exsecrata civitas." [4])

§. 5.

Participium futuri activi a bonis solutae orationis scriptoribus semper cum verbo auxiliari „esse" coniungitur, ut efficiatur coniugatio periphrastica, quae dicitur. [5]) Quod dicendi genus Horatio, qui id potissimum sequitur, ut oratio sit brevis et gravis, nimis longum et productum erat. Quam ob causam in carminibus quidem ubique fere pro illa ipsum participium futurum adhibet. [6]) Paulo aliter res se habet

[1]) Bene Heind. confert Luc. Vit. auct. 7: „οἱ τὴν πήραν ἐξηρτημένοι."

[2]) Nonnulla tamen huiusmodi participia mera participia perfecti passivi sunt habenda velut epist. II, 3, 383 sq. „. . . praesertim census equestem summam nummorum . . . . .", epod. 4, 3 sq.: „Hibericis peruste funibus latus et crura dura compede", alia, de quibus cf. Ebel. l. l. p. 7.

[3]) cf. Krüg

[4]) cf. Orell.: „significat. formae mediae, cum se diris devovisset."

[5]) cf. Madv. l. l. §. 424. Schultz. l l. §. 406, 1.

[6]) Duo tantum vel tria coniungationis periphrasticae exempla exstant: carm. I, 9, 13: „quid sit futurum . . ." et epod. 1, 17: „comes minore sum futurus in metu," et fortasse ib. 21 sq. „non uti sit auxili latura plus praesentibus." vide quae infra p. 43 n. 4 dixi.

in satiris et epistolis, in quibus rarius simplex participium futuri partes coniugationis periphrasticae suscipit. [1]) Quod omnes intelligere arbitror, si in mentem sibi revocant, quae disserui in quaestione prima, p. 5 sq. Quam varie Horatius praeterea participio futuri sit usus exemplis, quae memorare in animo mihi est, docebitur.

Primum igitur participium illud locum tenet coniugationis, quae vocatur periphrastica. cf. carm. I, 22, 6: „sive facturus per inhospitalem" i. e. sive . . . facturus est; I, 35, 29: „serves iturum Caesarem . . ."; epod. 2, 68: „iam iam futurus rusticus" i. e.: qui iam futurus erat.; epod, 3, 11 sq.: „ignota tauris illigaturum iuga . . perunxit hoc Iasonem"; epod. 15, 3: „cum tu magnorum numen laesura deorum"; sat. I, 10, 72 sq.: „saepe stilum vertas iterum quae digna legi sint scripturus . . . ."

Deinde participium futuri ita pro coniugatione periphrastica usurpatur, ut rem aliquam, quae aut rerum natura, aut divino quodam fato fit, significet. [2]) velut carm. saecul. 41 sqq.: „cui (sc. parti) per ardentem sine fraude Troiam castus Aeneas patriae superstes liberum munivit iter, daturus plura relictis", i. e. in nostra lingua: der mehr wiedergeben sollte als man zurückliess. [3]) cf. carm. I, 28, 4 sqq: „. . . nec quidquam tibi prodest . . . animoque rotundum percurrisse polum morituro" i. e. tibi, qui moriturus sive morti destinatus eras. cf. carm. II, 3, 4: „. . . . moriture Delli"; ib. 25 sqq.: „. . . . omnium versatur urna serius ocius sors exitura et nos . . . . impositura cumbae"; IV, 2, 3 sq.: „. . . vitreo daturus nomina ponto"; IV, 4, 13 sqq.: „qualemve . . . caprea . . leonem dente novo peritura vidit"; [4])

---

[1]) Coni. periphr. occurrit sat. II, 3, 261; 6, 7; 56; 8, 66; aliis locis.

[2]) cf. Madv. §. 424 adn. 5. Schultz. §. 412.

[3]) cf. Orell.: „conditurus per posteros suos imperium Troiano potentius."

[4]) cf. Orell.: „certo exitio destinata."

IV, 13, 22 sqq.: „sed Cinarae breves annos fata dederunt, servatura diu . . . Lycen . .“; sat. I, 8, 32 sq.: „cerea suppliciter stabat servilibus, ut quae iam peritura, modis . .“; epist. II, 2, 47 sq.: „civilisque rudem belli tulit aestus in arma Caesaris Augusti non responsura lacertis“.

Tum afferendi sunt loci, quibus participium futuri positum est pro pronomine relativo aut coniunctione quadam cum futuri tempore finito coniuncta. [1]) carm I, 28, 30 sq.: „negliges immeritis nocituram post modo te natis fraudem committere . . .“ i. e. fraudem, quae nocebit; III, 6, 46 sqq.: „aetas parentum peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem“ i. e. qui mox dabimus . . .; epod. 1, 9: „an hunc laborem (sc. persequemur), mente laturi decet qua fere non molles viros? [2]); epod. 5, 8: „per improbaturum haec Iovem (sc. precor)“; epod. 6, 4: „et me remorsurum petis“; epod. 9, 29 sq.: „aut ille . . . Cretam (sc. petit.) . . ventis iturus non suis“ [3]); epod. 15, 11: „O dolitura mea multum virtute Neaera!“; sat. II, 1, 10 sqq.: „aut . . . aude Caesaris invicti res dicere, multa laborum praemia laturus . . .“; epist. I, 3, 9: „quid Titius Romana brevi venturus in ora“; epist. II, 2, 160 sqq.: „. . . et vilicus Orbi cum segetes occat tibi mox frumenta daturas, te dominum sentit . . .“; epist. II, 3, 476: „non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo“.

Praeterea participium futuri nonnumquam in enuntiatis hypotheticis pro parte subsequente usurpatur. [4]) Qui participii usus optime intelligi potest e carm. IV, 3, 19 sq.: „o (sc. Pieri) mutis quoque piscibus donatura cycni si libeat, sonum“

[1]) cf. Schultz. §. 412 adn.

[2]) cf. Nauck: „laborem (militiae), näml. persequemur. Andere nehmen laturi für feremus und thun der Sprache, wie dem Verse Gewalt an.“

[3]) cf. Nauck.: „Cretam, nämlich petit; denn iturus kann mit petit fertur nicht parall. stehn, noch weniger als 1, 9 laturi mit persequemur.“

[4]) cf. Madv. §. 424 adn. 5 s. f.

i. e. quae dones . . [1]) et sat. I, 10, 89 sq.: „. . . doliturus, si placeant spe deterius nostra . . .“ Ceteris autem locis ille participii usus minus apertus est, quod pars antecedens non exstat, sed ex sententiarum connexu audienda est. cf. carm. II, 6, 1: „Septimi, Gades aditure mecum“ i. e.: qui . . adeas, sc. si rogem. [2]); III, 4, 60 sqq.: „numquam humeris positurus arcum . . Apollo“ [3]); epod. 1, 21 sq.: „non, ut adsit, auxili latura plus praesentibus.“ [4]); sat. I, 4, 43 sq.: „ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum . . .“ [5])

Paucis autem locis participium futuri partes coniunctionum finalium, quibuscum coniunctum est tempus finitum, [6]) gerit. cf. sat. I, 8, 26 sqq.: . . . scalpere terram . . . coeperunt . . ut inde manes elicerent animas responsa daturas“, [7]) i. e.: quae darent; sat. II, 8, 84 sq.: „Nasidiene, redis . . . ut arte emendaturus fortunam . . .“[8]); epist. II, 2, 84 sqq.: „. . hic ego . . verba lyrae motura sonum connectere digner?“ i. e. quae moveant.

---

[1]) cf. Nauck.

[2]) cf. Nauck.

[3]) cf. Nauck.

[4]) Hanc quidem lectionem Keller., nisus plurimorum eorumdemque optimorum codicum auctoritate, in textum recepit. Sed equidem praeferam alteram lectionem duobus tantum codicibus confirmatam, „uti sit latura,“ quippe qua oratio multo gravior elegantiorque fiat. Accedit quod verba „ut adsit,“ quum statim sequatur: „praesentibus“ nimis languida et prorsus supervacanea videntur esse. Iisdem causis commoti, ut arbitror, Bentl., Haupt., Meinek., Pauly., Linker. eandem lectionem praetulerunt.

[5]) cf. Heind.: „sonaturum; φωνῆσαν ἄν, quod sonare possit . . .“ sc. si opus sit sive si velit.

[6]) cf. Reis. §. 427. Schultz. §. 412. Madv. §. 424 adn. 5.

[7]) Bene Kirchn. haec verba vertit: „. . die Antwort sollten ertheilen.“

[8]) Kirchn. vertit haec verba: „. . . Straks durch Kunst zu verbessern den Unfall.“

§. 6.

Passivi autem participium futuri quod vocatur, quin melius praesentis participium passivi dicatur, vix dubitari potest.[1]) Cicero quidem, Caesar, alii illo participio usi non sunt, ut eo ipso res futuras significarent, nisi quis existimet, propriam huius participii significationem, i. e. notionem necessitatis ad tempus futurum spectare. Quam ob rem etiam fieri potest, ut hoc participium vel cum futuro verbi auxiliaris „esse" coniungatur, ut Horat. epist. II, 1, 41: „inter quos referendus erit? . . ." Atque in Horatii scriptis participium futuri passivi haud raro praesentis participii passivi habere significationem exempla satis multa clare docent. cf. epist. I, 11, 8 sq.: „. . . tamen illic vivere vellem oblitusque meorum obliviscendus et illis" i. e. nostra lingua: Die Meinigen vergessend, vergessen (werdend) auch von jenen.[2]); carm. III, 1, 5: „regum timendorum in proprios greges sc. imperium est."; carm. III, 3, 45 sq.: „horrenda (sc. Roma) late nomen in ultimas extendat oras . . ."; sat. I, 10, 39: „nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris".[3]); epist. II, 1, 16: „iurandasque tuum per nomen ponimus aras" i. e.: „iuxta quas . . . iuratur".[4]) Aliis locis, utrum necessitatis an ipsius participii praesentis significatio sit praeferenda vix discerni potest. cf. carm. IV, 14, 11 sq.: „. . . . et arces Alpibus impositas tremendis", quem locum equidem sic explico: arces impositas Alpibus, quae metuuntur, quamquam sententia haud multum mutata

---

[1]) Hanc sententiam defendit Haas. l. l. adn. 580 et 589.

[2]) cf. Krüg.: „obliviscendus in der Bedeutung eines Part. Praes. Pass., so wie Vergil. Aen 9, 7: volvenda dies, i. e. quae volvitur." Minus recte Schmid : „oblivioni tradendus."

[3]) Nonnulli librarii, ignorantes, ut videtur, illam participii futuri passivi significationem, scripserunt: spectata theatris.

[4]) cf. Krüg.: et Schmid.

etiam dici potest: arces impositas Alpibus, quae tremendae sunt. Prorsus idem dicendum est de carm. II, 10, 7 sq.: „. . . caret invidenda sobrius aula"; III, 1, 45 sq. „cur invidendis postibus et novo sublime ritu moliar atrium?" aliis locis.[1]) Longe autem plurimis locis participium illud e solemni pedestris orationis usu aut necessitatis notionem continet, aut cum verbis tradendi, mittendi, similibus ita coniunctum est, ut finem sive consilium significet. Quod exemplis confirmare supersedeo, quum nimis tritum sit. Id unum mihi haud omittendum videtur participio illo non solum id significari, quod non fieri non potest, sed etiam id, quod meret, ut fiat. cf. carm. IV, 2, 45: „si quid loquar audiendum" i. e.: dignum quod audiatur; IV, 4, 68: „proelia coniugibus loquenda";[2]) IV, 9, 21: „dicenda Musis proelia . . ." i. e. digna quae a Musis dicantur; IV, 14, 17: „spectandus in certamine Martio";[3]) epist. II, 3, 331 sq.: „. . speramus carmina fingi posse linenda cedro et levi servando cypresso?"

Mirum denique videtur, quod Horatius vel multorum verborum intransitivorum participium futuri passivi format et usurpat. cf. carm. I, 27, 15 sq.: „. . . erubescendis . . . ignibus . . ."; II, 4, 20: „matre pudenda"; II, 10, 7 sq.: „. . . invidenda . . . aula"; id. carm. III, 1, 45; IV, 2, 15 sq.: „. . . tremendae . . . . Chimarae"; epist. I, 11, 9: „. . . obliviscendus . ."; II, 1, 16: „iurandas . . . aras."

§. 7.

De ablativo absoluto hoc unum dicendum est. Interdum cum ablativo participii perfecti passivi pro substantivo

[1]) Praeterea conferri possunt: carm. II, 19, 8; III, 2, 4; 20, 10; IV, 9, 4; 14, 27; epist. II, 1, 136; 2, 143.

[2]) Libet hoc loco adnotare Horatium participium futuri passivi, cui Cicero teste Schultzio (l. l. §. 413 adn. 3.) decies fere praepositionem „a" cum ablat. personae subiecit, ubique cum dativo personae coniunxisse.

[3]) cf. Orell. „dignus qui spectaretur tunc . ."

enuntiatum quoddam couiungitur. cf. sat. I, 1, 94: „. . . parto quod avebas . . .“; sat. I, 6, 122 sq.: . . . aut ego, lecto aut scripto quo me tacitum iuvet, unguor olivo“;[1]) epist. I, 10, 50: „excepto quod non simul esses, cetera laetus“.

§. 8.

Restat, ut nonnullos locos afferam, quibus Horatius, usitatis Latinae linguae legibus plane neglectis, Graeco more participio usus est. Invenimus enim, in eius libris verba gaudendi, dolendi non coniunctionem „quod“, sed participium sequi.[2]) Quod elucet ex his locis: carm. III, 4, 73: „iniecta monstris Terra dolet suis“[3]); epod. 2, 19: „ut gaudet insitiva decerpens pira“; epist. II, 2, 107: „gaudent scribentes . . .“; II, 1, 267: „ne rubeam pingui donatus munere . . .“.[4])

Similiter verbum fallendi cum participio coniunctum reperimus:[5]) carm. III, 16, 32: „fallit sorte beatior“ sc. ens;[6]) epod. 3, 6 sq.: „num viperinus his cruor incoctus herbis me fefellit . . .“;[7]) epist. I, 17, 10: „nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.“

---

[1]) cf. Bentl.

[2]) Imitatus est Graecorum: „χαίρω ποιῶν, ὀργίζομαι ἀδικούμενος“ similia, de quibus cf. Krüg. Griech. Gramm. §. 56, 6 4.

[3]) cf. Nauck.

[4]) Huius dicendi generis plura exempla exstant in Vergilii libris, ut georg. II, 510: „gaudent perfusi sanguine“; Aen. X, 500: „gaudet potius“ XII, 6 sq.; 702 sq.; item Tibull. III, 4, 60: „gaudet nupta.“

[5]) Imitatus est Graecorum illud: λανθάνομαι ποιῶν, de quo vide Krüg. l. l. §. 56, 1, 5.

[6]) cf. Nauck.: „λανθάνει ὀλβιωτέρα οὖσα τὸν κλῆρον“ Eandem sententiam defendit Bentl, quem vide.

[7]) cf. Nauck.: „Ist mir heimlich hineingebraut.“ cf. Verg. Aen. VII, 350 sq.: „. . . fallitque furentem vipeream inspirans animam,“ ubi Wagn. recte ita iungit: fallit inspirans, ἔλαθεν εἰσπνέων.

CAP. II.

De gerundio.

Quoniam dixi de participio, nunc agam de gerundio. De origine atque natura gerundii assentior Haasio,[1]) qui vult gerundium esse neutrum participii futuri sive praesentis passivi. Atque idem difficultates, quae inde exstare videntur, quod illud ubique fere activam vim continet, bene refutavit. Gerundio autem Horatius praesertim in carminibus multo rarius quam solutae orationis scriptores usus est. Nam Graecos imitandi studio commotus et adiectiva et alia verba, quibus illi gerundium adiunxerunt, cum infinitivo coniunxit.[2]) Sic invenitur in carm. I, 6, 6: „Pelidae stomachum cedere nescii" pro: nescii cedendi; I, 3, 25: „audax omnia perpeti" pro: audax ad omnia perpetienda; epist. I, 2, 27: „nos numerus sumus et fruges consumere nati" pro: ad fruges consumendas nati; sat. I, 4, 8: „emunctae naris, durus componere versus" pro: . . durus in componendis versibus.[3]) Duo tantum adiectiva: „parca, exsors" et unum participium „natus" cum gerundio videmus esse coniuncta. cf. sat. II, 5, 79: „venit enim magnum donandi parca iuventus"; epist. II, 3, 305: „. . . exsors ipsa secandi"; ib. 82: „. . . natum rebus agendis".

Substantivis autem, excepto sat. II, 2, 123: „post hoc ludus erat culpa potare magistra", solutae orationis usum secutus ubique gerundium addidit. cf. carm. II, 7, 25 sq.: „. . . quem Venus arbitrum dicet bibendi . . ." Ceterum gerundium ita usurpat, ut postulat solitus pedestris orationis usus, praeterquam quod illud non vertit in gerundivum, si genitivum sive ablativum sine praepositione accusativus se-

[1]) cf. Haas. l. l. adn. 580, 581, 582.

[2]) cf. Madv. l. l. §. 419. Krüg. l. l. §. 476, 4.

[3]) Exempla, quae huc pertinent, omnia fere collegit Hester., in dissertatione, quam scripsit de infinitivi natura et apud Horatium usu (Monast. 1858) §. 9, 10.

quitur obiecti. Nonnulla exempla id, quod modo dixi, satis explicatura atque demonstratura esse puto.

sat. I, 1, 92: „denique sit finis quaerendi . . . .“; carm. I, 2, 29 sq.: „cui dabit partes scelus expiandi Iuppiter. . .?“; sat. I, 6, 30 sqq.: „ut . . . puellis iniciat curam quaerendi singula . . . .“; epist. II, 3, 9 sq.: „. . . pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas“.

epist. I, 2, 44 sq.: „quaeritur argentum puerisque beata creandis uxor . . .“; epist. II, 1, 241 sqq.: „. . . . quodsi iudicium subtile videndis artibus illud . . . . vocares . .“; II, 3, 82: „. . . et natum rebus agendis.“

sat. II, 3, 149 sq.: „. . . accedere plures (sc. iubet) ad numerandum . . . .“; epist. II, 1, 154 sq.: „. . . vertere modum, formidine fustis ad bene dicendum delectandumque redacti“; I, 19, 7 sq.: „Ennius . . . numquam nisi potus ad arma prosiluit dicenda . . . .“

carm. I, 8, 2 sq.: . . . Sybarin cur properes amando perdere . . .?“ cf. epod. 14, 5; epist. I, 7, 87.

carm. II, 2, 9 sq.: „latius regnes avidum domando spiritum . . .“; sat. II, 3, 64: „Insanit veteres statuas Damasippus emendo . .“; cf. carm. II, 10, 2; 3; IV, 14, 31; sat. I, 4, 106; II, 3, 140; epist. II, 3, 344.

carm. saec.: 18 sq.: „prosperes decreta super iugandis feminis . . .“ cf. sat. I, 10, 70; epist. I, 2, 29; 16, 68.

CAP. III.

De supino.

Reliquum est, ut breviter de supino agam.[1]) Supinum Supinum, quod desinit in „um“, Horatius, ut boni solutae

[1]) De supini natura fusius egerunt: Reisig. l l. §. 442; 443; Haas. l. l adn. 597: 598; Gernh. l. l. p. 110—117 De usu eius vide praeterea Madv. l. l. §. 411; 412; Schultz l. l. § 426; 427.

orationis scriptores, sed saepius quam illi,[1]) cum iis verbis, in quibus vis inest movendi, coniungit. Supinum autem in „u" desinens rarius usurpat idque legibus Latine loquendi consentiens.[2]) Non opus est plura sed sufficiet ipsa exempla ante oculos ponere.

cf. carm. I, 2, 13 sqq.: „vidimus flavum Tiberim .... ire deiectum monumenta regis templaque Vestae"; sat. I, 5, 18: „... ac missae pastum ... mulae ..."; epist. I, 2, 31: „ad strepitum citharae cessatum ducere curam"; I, 3, 18 sq.: „ne, si forte suas repetitum venerit olim grex avium plumas ..."

cf. sat. I, 3, 137; I, 5, 48; I, 6, 119; ibid. 125; II, 4, 89; epist. I, 7, 73; II, 2, 67; II, 3, 5.

carm. III, 2, 9 sqq.: „.... eheu, ne rudis agminum sponsus lacessat regius asperum tactu leonem ..." sat. I, 4, 115 sq.: „... sapiens, vitatu quidque petitu sit melius causas reddet tibi ..." I, 8, 25 sq.: „pallor utrasque fecerat horrendas aspectu ..." cf. epist. II, 2, 91; II, 3, 107.[3])

---

[1]) Schultz. (l. l. §. 426 adn. 3.) quidem confirmat in Ciceronis et Caesaris libris supinum in „um" desinens rarius legi.

[2]) Nonnullis locis infinitivum invenias, ubi alterutrum supinum exspectatur, velut carm. I, 2, 7 sq.: „omne cum Proteus pecus egit altos, visere montes" pro: visum; epist. II, 3, 163: „cereus in vitium flecti..." pro flexu. cf. Madv. l. l. §. 411 adn. 2; 412 adn. 3.

[3]) Olim (a Kirchnero, Dillenburgero, aliis) etiam sat. I, 4, 124: „... an hoc inhonestum et inutile factu necne sit addubites ..." huc referebatur, sed haud dubie praeferenda est altera lectio: „. an hoc ... factum necne sit addubites ...", quam Holder. nunc ex omnium fere codicum auctoritate in textum recepit.

